vilis, hæc est. Si lex reprobet contractum, ipsumque prohibeat ei resistens, neutra obligatio oritur: si autem lex humana minime contractui resistat, ipsum reprobans, nec assistat, denegans ei actionem in foro externo, tunc contractus hic, destitutus manet auxilio juris civilis, sub fomento tamen juris naturalis, quare sola naturalis obligatio verum in foro conscientiæ debitum producens, consurget. n. 16.

Novitiatus.

1. Quoties novitiatus fuit validus nulla ipsius iteratione opus est ad professionem irritam, ratam habendam. l. 7. d. 37. num. 45.

v. Dies. v. Professio. v. Religio.

2. Quando novitiatus fuit irritus, quidam valde probabiliter sustinent novitiatum iterandum esse, ad ratificandum professionem, quia quod nullum in se est, nullum juris effectum operari potest: probabilior tamen sententia ait eum novitiatum iterandum non esse: & hoc verum, quamvis publica esset nullitas professionis, & novitiatus, ob professi inhabilitatem. n. 46. 47. & 48.

3. Professione existente irrita defectu ætatis, ut quia ante decimum sextum annum obligationem emissa est, contra decretum irritans Tridentini, non est necessarium ad ejus ratificationem annum novitiatus iterari. n. 49.

4. Novitiatus post pubertatem inceptus, & impletus ante decimum sextum annum, valet: quamvis Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium dicat hoc esse correctum per motum proprium Sixti V. Ibidem.

5. Non est iterandus novitiatus, quod non fuerit præmissus anno integro professioni, sed sufficit professionem illam ratificari completo tempore quod deerat illi anno: quamvis Navarrus videatur clare oppositum sentire. num. 50.

6. Non est opus iteratione novitiatus existente professione nulla ratione metus. Contra Navarrum. n. 51.

7. Cum professio valore caret, ratione inhabilitatis perpetuæ profitentis, si impetrata dispensatione habilis effectus velit priorem professionem irritam ratificare; retenta sententia probabiliore, licet contraria sit etiam probabilis, dicendum est non esse necessarium repeti novitiatum. num. 52.

8. Quando non extat statutum a Pontifice confirmatum, efficiens inhabilem professum, tegentem morbum, vel aliud vitium notabile, licet admissus non esset eo cognito, nec professio, nec novitiatus iteranda sunt, sed valida fuerunt: posset tamen religio ipsum in pœnam culpæ sic admissæ expellere. n. 53.

9. Quando professio fuit nulla defectu non præmissæ informationis a Sixto V. petitæ, quibusdam junioribus placuit, & novitiatum, & professionem irrita esse, sed verius est non iritari novitiatum, sed solam professionem. num. 54.

10. Quando illegitimi non ex sacrilego, aut incestuoso concubitu nati ad professionem recepti sunt, non præmissa informatione, novitiatus fuit validus: secus si ex incestu vel sacrilegio geniti sint; tunc enim & novitiatus irritus fuit, ut dicunt Sixtus V. & Gregorius XIV. num. 55.

11. Quando professio fuit nulla defectu veri consensus profitentis, ut si ficte professus sit, non indiget novitiatus iteratione ut ratificet professionem, & hoc juxta utramque sententiam, n. 56.

12. Qui vellet opinionem probabilem amplectens in prædictis casibus iterare novitiatum, ut vel sic tutior esset ratificatione professionis valor sine nota, potest secreto impetrari Pontificia dispensatio novitiatum supplens; vel potest sub sigillo confessionis, vitio superiori detecto, petere ut ipsum denuo admittat ad novitiatum peragendum inter ceteros professos, habitu eorum gestato. num. 57.

13. Decretum Tridentini requirens integrum annum novitiatus ad professionis valorem, non habet locum in ordinibus militaribus, excepto ordine militum D. Joannis, l. 7. d. 44. n. 8.

Nuptiæ.

1. Per impedimentum ligaminis significatur vinculum prioris matrimonii, quo durante posterius est irritum: unde dicendum est. Pluralitas nuptiarum primis consistentibus, in lege evangelica, jure divino prohibita est: hinc confutatur aperta hæresis Lutheri & Anabaptistarum impie defendentium pluralitatem uxorum, quam & spurcissimus Mahumetus in nefanda sua lege suis sectatoribus concessit. l. 7. d. 80. n. 1. & 2.

v. Benedictus. c. 12. & seq. v. Conditio. v. Filius. c. 34. & seq. v. Bigamus. c. 41. & seq. v. Poena. c. 37. v. Legatus. v. Tutela.

2. Pluralitas virorum respectu unius uxoris, interdicta prorsus est jure naturali, atque id matrimonium cum aliis viris præter primum, eodem jure irritatur, quia adversatur primario matrimonii fini; incerta enim erit proles, impedieturque generatio ex plurium virorum commistione. num. 4.

3. Censent quidam pluralitatem uxorum respectu unius viri, nec jure naturali, nec divino antiquo positivo prohibitam esse: alii opinantur polygamiam adeo jure naturæ interdictam esse, ut pugnet cum conjugii veritate: ceterum dicendum est polygamiam ubius viri cum pluribus uxoribus non esse omnino contra jus naturæ, atque adeo non esse contra prima, ac universalia ejus principia, sed aliquo modo adversari juri naturæ, quatenus est contra conclusiones ab ipsis primis principiis derivatas a n. 5. ad 8.

4. Nullatenus potest Pontifex in uxorum pluralitate dispensare, quod tum lege naturali, tum etiam lege Christi ob veram Sacramenti significationem interdicta sit. num. 9.

v. Consanguineus.

5. Veteres patres legis antiquæ pluribus uxoribus conjuncti, culpæ immunes fuerunt, eo quod Deus; cum illis dispensarit; & quidem satis probabile est eam dispensationem extensam esse ad populum gentilem, atque ita eis antiquitus fuisse licitam uxorum pluralitatem. Licet contrarium, scilicet non esse extensam: sit probabilius. n. 12. & 13.

6. In lege Evangelica ejusmodi dispensatio cassata est a Christo, & reduxit matrimonium ad primævum statum, in quo unica uxor licebat: unde nullis fidelibus nec infidelibus licita est hodie polygamia, & dum infideles baptisma susceperint, cogendi sunt ad primam uxorem legitimam redire, separandique sunt ab aliis matrimonis ea superstite initis, tanquam ab omnino irritis. n. 14.

7. Non est ita intrinsece malum ut una uxor pluribus viris nubat, quin Deus possit dispensare. n. 15.

8. Quidam hæretici secundas, & ulteriores nuptias, etiam prioribus morte alterius conjugis dissolutis, damnarunt; at veritas catholica est, binas, trinas, quaternas & ulteriores nuptias prioribus dissolutis, licitas esse, ac verum sacramentum. l. 7. d. 81. n. 1. & 2.

9. Pœnæ jure civili secundis nuptiis intra luctus annum contractis statutæ sunt. 1. est ut vidua efficiatur infamis, tam ipsa, quam vir eam ducens. 2. ut posteriori viro non possit dare in dotem; nec in ultima voluntate relinquere ultra tertiam bonorum suorum partem. 3. ut sit expers cujuscumque hæreditatis, legati, fideicommissi, donationis causa mortis. 4. privatur mulier omnibus relictis a viro priori in suprema ejus voluntate, non tantum quoad proprietatem, sed etiam quoad usumfructum. 5. vidua non potest succedere ab intestato suis consanguineis ultra tertium gradum. 6. tenetur vidua dare medietatem bonorum filiis prioris matrimonii. Hæ pœnæ feminæ secundo nubenti intra annum luctus, statutæ non afficiunt viduum intra annum secundam uxorem ducentem. l. 7. d. 87. a n. 1. ad 20.

10. Censent quidam nullam ex his pœnis statutis feminæ intra annum luctus nubenti, correctam esse jure canonico, præter illam infamiæ: aliis vero placet nullam pœnam esse correctam, ceterum verissima sententia est pœnas has feminæ secundo nubenti impositas corrigi jure canonico: atque adeo posse impune ad secundas nuptias viduam transire quocumque tempore, & hoc pro utroque foro, ecclesiastico scilicet, & sæculari. a n. 21. ad 31.

11. Pœnæ jure civili inflictæ secundis nuptiis, in favorem filiorum prioris matrimonii sunt. 1. conjux transiens ad secundas nuptias amittit proprietatem omnium bonorum quæ a conjuge defuncto consecutus est, & eam transfert ad filios prioris matrimonii, retento solo usufructu. 2. non potest in dotem dare marito, nec alio titulo ei relinquere plusquam dederit uni ex filiis prioris matrimonii cui minus reliquit. 3. mater transiens ad secundas nuptias amittit filiorum tutelam. 4. mater ante rationem redditam suscepta tutelæ, incurrit omnes pœnas statutas. 2. nubenti infra annum luctus; 5. si relicta sit a viro executrix testamenti, id munus amittit. 6. potest excludi ab educatione filiorum. 7. secundum aliquos privatur mater facultate exemplariter substituendi. 8. vidua non gaudet privilegiis honoris & dignitatis prioris viri. 9. matri secundo nubenti non tenetur filius dotem constituere. 10. nequit mater ratione ingratitudinis revocare donationem factam filiis prioris: matrimonii. 11. pater rogatus ab avo restituere hæreditatem filiis, tenetur satisdare de ea restituenda, si secundam uxorem ducat. 12. quamvis mater bona filii administrans non teneatur de modicis rationem reddere, at si secundo nubat, tenetur. l. 7. d. 88. a n. 1. ad 37.

12. Tenenda est communis fere omnium sententia, asserens pœnas jure civili inductas secundis nuptiis post annum initis, utpote quæ in filiorum favorem sunt, minime esse correctas jure canonico, atque ita hodie in utroque foro servandas esse: quamvis nonnulli contendicant. num. 38. & 39.

Occultum.

1. Occultum in decreto Tridentini concedentis Episcopo casus occultos, usurpatur, ut distinguitur contra publicum, vel id quod deductum est ad forum contentiosum. l. 2. d. 37. n. 11.

v. Dispensatio. v. Hæresis publica. c. 12. v. Impedimentum c. 6. 7. v. Matrimonium. c. 62. & seqq.

2. Occultum dicetur impedimentum, ut eo sublato possit matrimonium clam celebrari, ut distinguitur contra plene probabile: dicetur autem plene probabile in foro externo impedimentum ad dissolvendum matrimonium publice contractum, quando duobus testibus omni exceptione majoribus probari potest. Ibid.

3. Occultum in Sacræ Pœnitentiariæ litteris dicitur, ut di-

distinguitur contra publicum; quare licet ab aliquibus impedimentum sciatur, ac proinde probari possit, dicetur occultum; & tunc solum non erit occultum, sed publicum, quando est publicum non tantum in civitate, sed etiam in majori parte vicinia, vel collegii, monasterii vel parochiæ, dummodo saltem decem personæ inveniantur in ea vicinia, parochia, vel collegio, vel monasterio, in quibus id publicum est. l. 8. d. 34. n. 55.

4. Occultum dicetur impedimentum, quamvis res ipsa publice constet, v. g. copula, ex qua orta est affinitas, si non sit publicum, quatenus impedimentum, id est, si non sciatur publice id esse impedimentum. n. 56.

5. Non dicetur delictum publicum, quamvis materialiter sit actus ille publicus, nisi formaliter publicus sit, nempe, in quantum delictum, ibidem.

6. Occultum non dicetur impedimentum, si jam ad forum contentiosum deductum sit: si tamen impeditus in foro externo sit absolutus, remanebit impedimentum occultum, & redactum ad statum pristinum. n. 57.

7. Ut delictum desinat esse occultum, exigitur ut deductum sit ad forum contentiosum, ac simul parti intimatum; quod cum citatio sit primus judicii actus, ea non facta, minime dicetur res ad forum externum deducta. n. 58.

9. Occultum adhuc censebitur impedimentum, & in eo poterit Episcopus dispensare, quamvis ad Pontificem delatum fuerit nolente in eo Episcopo dispensare, postea tamen volente. lib. 8. disp. 14. n. 9.

Opinio.

v. dubium. v. Impedimentum.

1. Opinio singularis alicujus Doctoris matrimonium sustinentis, dummodo probabili rationi innitatur, præfertur plurium sententiæ illud impugnantium, nisi textui aperto innitantur: idem dicendum quando opinio favet causæ piæ. l. 1. d. 18. n. 7.

2. Si eo quod matrimonium favorabile est magis credendum est uni Doctori in favorem illius sentienti, quam multis contrarium opinantibus, fortiori ratione id tribuendum est sacramento pœnitentiæ, & ejus sigillo, ut major fides adhibeatur duobus Doctoribus sentientibus in sigilli favorem, quam multis contrarium opinantibus: favorabilius est enim sacramentum pœnitentiæ matrimonio. l. 3. d. 16. n. 4.

3. Credens se necessarium hæredem esse cum vere non sit, repudiari non potest, quia opinio veritati præfertur, cum necessarium sit agentem scire ex qua causa, & quo jure eumdem actum agat. l. 2. d. 33. n. 1. & 4.

4. Opinio parum probabilis, & tuta, quamvis secluso magno periculo amplecti nequeat, tamen urgente necessitate, & periculo quod ex opposito sequeretur, judicabitur probabilis: quia ut ait Navarrus, periculum grave facit ut in moralibus formido præponderet opinioni: & juxta Jason, in dubiis præferenda est sententia animabus favens. l. 2. d. 36. n. 8.

5. Opinio communis non dicitur quæ plures Doctores eam asserentes habet, nulla præmissa disputatione, sed perfunctorie & per transennam illam sequentes; unde Navarrus existimat opinionem approbatam a sex Doctoribus ex professo rem tractantibus, communiorem existimari, quam a 50. sola fere priorum auctoritate ductis. l. 3. d. 44. n. 3.

6. Non est credendum Doctoribus quantumcumque doctrina polleant, dum carent fundamento. ibidem.

7. Si sint diversæ opiniones, an aliquis sit legitimus minister matrimonii, aut confessionis, vel licentia illi concessa sit legitima, vel privilegium bullæ revocatum sit, vel extendatur ad illum casum, & opinio affirmans non esse legitimum ministrum &c. sit coram Deo vera: dum tamen veritas illa latet, & probabili sapientium opinione reputatur probabilis opinio opposita, confessiones factæ, & matrimonia celebrata coram tali ministro, vel virtute talis licentiæ aut privilegii valent; quia est communis error, titulusque præsumptus, collatus a legitimo superiore. l. 3. d. 22. n. 65.

8. Uti forma & materia juxta opinionem probabilem in Sacramentis, relictis certis in quibus non est opinio, est peccatum lethale. l. 3. d. 20. n. 1.

9. Non posse amplecti opinionem probabilem relicta certa circa formas & materias Sacramentorum, non provenit ex defectu opinionis, & ratione periculi, sed quia contravenitur præcepto utendi forma & materia præscriptis & usitatis in Ecclesia. Ibidem.

10. Si in ipsis Sacramentis aliquod dubium se offerat, circa quod nullum sit Ecclesiæ præceptum, quilibet potest relicta opinione probabiliori sequi probabilem. Ibidem.

Ordinarius.

v. clausula. c. 13. v. delegare. v. Ministerium. v. Mandatum. c. 6. v. titulus. v. Vicarius.

1. Ordinarius censetur ut possit interesse matrimonio, & alii dare licentiam assistendi, Episcopus in sua diœcesi, & Archiepiscopus in sua. lib. 3. disp. 28. n. 1.

2. Archiepiscopus nequit assistere matrimoniis subditorum suffraganei: quia non est Ordinarius ipsorum nec habet jurisdictionem, nisi in casibus per appellationem devolutis ad ipsum, & in aliis casibus singularibus. n. 3.

3. Potest Abbas Ecclesiæ nulli Episcopo subjectæ interesse matrimonio, & alii assistendi licentiam dare, quia est Ordinarius, habetque jurisdictionem quasi Episcopalem, non tamen posset Episcopus conjungere matrimonio subditos horum Abbatum, sicut nec posset confessores exponere pro illis. n. 6.

4. Legatus in provincia suæ legationis, est Ordinarius, & potest in ea quidquid potest Episcopus in sua diœcesi n. 8.

5. Vicarius generalis Episcopi, vel Capituli sede vacante, habet jurisdictionem ordinariam, quia jurisdictio concessa a canone, vel lege, est ordinaria: hinc quamvis Episcopus constituat Vicarium generalem, non tamen ei confert jurisdictionem quam habet, sed a canone tributur: idem dicendum de Vicario generali habenti jurisdictionem episcopalem. l. 3. d. 29. n. 3. & 4.

6. Quoties in aliquo Decreto mentio fit Ordinarii, nisi subjecta materia aliud poscat, intelligitur non tantum Episcopus, sed etiam omnes habentes jurisdictionem ordinariam; unde nomine Ordinarii comprehenditur Vicarius Episcopi, vel Capituli sede vacante, aliorumque habentium jurisdictionem quasi episcopalem. n. 5.

7. Quidam dicunt Vicarium quoad ea quæ sibi ab Episcopo committuntur, esse delegatum: alii vero asserunt sive simul in Vicarii institutione, sive diverso tempore commissio alicujus casus fiat, si addatur clausula generalis, totam commissionem esse ordinariam: verius autem est sic distinguendum; si Episcopus unica commissione committat Vicario aliquem, aut aliquos casus, est Vicarius ordinarius etiam quoad casus commissos: si autem divisim, & seorsum committantur illi casus, est jurisdictio delegata, nisi fiat in commissione expressa mentio vicariatus; si enim fiat, tota jurisdictio erit ordinaria. n. 6. 7. & 8.

8. A Vicario generali non appellatur ad Episcopum in iis in quibus est ordinarius; nam quando est delegatus Episcopi, appellatur ab ipso ad Episcopum delegantem. num. 9.

9. Quando uterque contrahens matrimonium, vel alter est peregrinus, vel alienigena, nequit parochus eos matrimonio conjungere, donec rem ad Ordinarium detulerit, ab eoque licentiam obtinuerit: Ordinarii autem erit informationem accipere diligenti cura, an hi soluti sint, aut impedimentum aliquod habeant. lib. 7. d. 15. num. 1.

10. Si neuter contrahens sit peregrinus, aut alienigena, parochus debet præmittere denuntiationes, & nullo opposito impedimento, potest nulla Ordinarii licentia requisita matrimonio assistere. n. 2.

11. Si impedimentum opponatur, potest parochus interdicere matrimonium, non autem de impedimento cognoscere, sed res est deferenda ad Ordinarium, ut de illo cognoscat. num. 3.

12. Posset ordinarius credere, opposito priorum sponsalium cum alia impedimento, fatenti illa, dicentique se ficte promisisse, si notabilis sit disparitas inter promittentem, & recipientem promissionem. n. 71.

13. Si nullus denunciet impedimentum coram parocho, vel Ordinario, quamvis ipsis constet de impedimento, si constet etiam de dispensatione pro foro conscientiæ; possunt dissimulare, & sic impeditos matrimonio conjungere. num. 14.

14. Si aliquis denunciet impedimentum illud parocho, vel Ordinario, neuter potest dissimulare, sed tenetur non admittere dispensationem pro foro conscientiæ, donec dispensationem pro foro externo afferant. n. 15.

15. Si Notario ex Ordinarii commissione, vel ipso Ordinario confessionem contrahentium excipiente ex officio, nullo scilicet opponente impedimentum, contrahens affirmet se aliquo impedimento impedienti, vel dirimenti laborare, obtinuisseque dispensationem occultam in foro conscientiæ, poterit Notarius, vel Ordinarius id non scribere, sed admonere illum ut taceat, & se corrigat, id negando, ne illi noceat sua confessio in foro externo, & si esset scripta, posset delere, antequam confitens subscribat, quia ante subscriptionem nondum perfecta est confessio judicalis. n. 16.

16. Potest Prælatus censuris compellere subditos, ut discant Doctrinam Christianam, & parochus ut eam interrogent. num. 19.

v. Beneficium. c. 9. 11. & 12. & seq. v. Bigamia n. 8. & seq. v. Causa. c. 3. v. Circumstantia. n. 8. & seq. v. Dispensatio. c. 40. & 41. & seq. v. Gratus. v. Gratia. c. 4. v. Hæresis. c. 9. v. Hermaphroditus. c. 9. v. Illegitimus.

Ordo.

1. Fides Catholica est, continentiam esse annexam ordini sacro, ita ut illum sponte suscipiens teneatur imposterum continere, idque convenientissimum esse. l. 7. d. 27. num. 2.

2. Continentia clericorum, non tantum obligat continere a nuptiis, sed etiam ab omni actu venereo, perinde ac votum castitatis; quia cum mancipentur functioni rerum sacrarum, omnis mundities eos condecet. num. 3.

3. Quidam sustinent jure divino annexam esse continentiam Ordini sacro, idque probabile putat Azorius: verior tamen sententia, cui adhærendum est, ait solo jure Ecclesiastico esse annexam continentiam ordinibus sacris, quamvis enim Ordo suapte natura quandam afferat congruentiam, decentiamque castitatis matrimonio repugnantem, non tamen ex se parit virtutem præcepti. n. 4. & 5.

4. Nec

v. Impedimentum c. 6. v. Impotentia. c. 6. v. Infidelis c. 15. & seq. v. Irregularitas. v. Matrimonium c. 41. v. Ratificatio. c. 1. v. Sacrilegia. c. 26. v. Sponsalia. c. 29. v. Suspensio. v. Votum. v. Uxor. c. 16. & alc.

4. Nec juris divini est, nec Apostolici, ne ad sacros ordines eligantur, nisi illi qui nullo fuerunt antea matrimonio conjuncti. n. 6.

5. Dicunt quidam obligationem initiati Ordinibus sacris ad servandam castitatem non esse ex voto, sed ex Ecclesiæ statuto, atque ita votum istud annexum Ordini sacro, quoad rem ipsam attinet, aliud non esse quam illam obligationem jure Ecclesiastico inductam ad non ducendam uxorem, perpetuamque servandam castitatem, ceterum quamvis hoc sit satis probabile, tamen multo probabilius est, eam obligationem non consurgere immediate ex constitutione Ecclesiæ, sed ex voto castitatis, quod Ecclesia suo præcepto annexuit ordinibus sacris. n. 9. & 10.

6. Si initiatus sacris ignorarit votum ordini annexum tenetur omnino continere, nec potest valide matrimonium inire: eo vel maxime quod lex semel legitime promulgata omnes ligat quantumvis ignorantes, quamvis hi culpa transgressionis legis excusentur. n. 11.

7. Si initiatus penitus ignoravit se ordinem sacrum recipere, non cogetur in foro conscientiæ continentiam servare: at in foro externo cogetur utique, quia ea ignorantia non præsumetur probabilis. Ibidem.

8. Scienter ordinatus ignorans prorsus votum annexum ordini, non solum ex Ecclesiæ constitutione tenetur continere, sed etiam ex voto: licet quidam ex illa sola teneri affirment. ibidem.

9. Quando promotus ad ordines, in promotione sua habuit expressam intentionem minime se ad continentiam obligandi, aliqui affirmant hunc teneri ex voto adhuc ad continentiam; sed magis placet ex sola constitutione Ecclesiæ teneri, sic promotum ad continentiam; quia ad onera ordinibus annexa potest Ecclesia sponte ordinatos, velint, nolint, adstringere, secus de voto, id enim ejus naturæ prorsus repugnat. n. 12.

10. Qui promotus est invalide ad sacros ordines, & tamen vere promoveri voluit, deficiente aliquo substantialiter requisito, secundum aliquos voto simplici castitatis tenetur; sed verius est hunc ad nil prorsus obligari. num. 13.

11. In voto solemni ordinis sacri non est vera traditio, per quam transfertur dominium corporis in DEUM ad castitatem servandam, ut in religionis professione, sed aliqualis tantum, & non ad castitatem, sed ad ministeria divini cultus; ac per accidens adjungitur votum castitatis: est igitur id votum simplex ex natura sua, & per se, at extrinsece, ac per accidens solemne, quod voti solemnis effectum habeat. n. 17.

12. Votum solemne ordinis sacri, & professionis, non differunt specie in genere moris; neque etiam a voto simplici, sed per solam Ecclesiæ constitutionem decernentis hæc duo vota dirimere matrimonium, non autem votum simplex: quamvis oppositum teneat Manuel. num. 18.

13. Veritas catholica est per ordinem sacrum dirimi matrimonium postea initum. l. 7. d. 28. n. 2.

14. Existimant quidam jure divino per ordinem sacrum dirimi matrimonium subsequens: alii docent Ordinem sacrum ut Ordo sacer est non habere ex natura sua, & jure naturali divino dirimere contractum matrimonii subsequentem, quod non habeat eo jure annexam sibi continentiam, at ratione voti solemnis annexi id efficere jure divino, & naturali communior, & verior sententia ait solo Ecclesiæ statuto dirimi matrimonium subsequens per Ordinem sacrum: Ecclesia enim inhabiles reddit initiatos sacris ad matrimonium. nu. 9. 10. & 11.

v. Episcopus. c. 9.

15. Ordo vi præcisa assumptus ad nil prorsus obligat; quia cum desideretur voluntas, non valet Ordo, nec character recipitur. l. 7. d. 29. n. 1.

16. Ille qui post matrimonium metu viri constantis recipit Ordinem sacrum, non tenetur continere quoad usum illius matrimonii, sed potest illo libere uti ac si ordinem non recepisset: & id verum quamvis matrimonium consummatum non sit, & uxor continere vellet. num. 2.

17. Qui metu ordinatus est, dato illum non teneri ad Ordinem, & ad castitatem, constat non frui privilegiis clericalibus si continere nolit: æquum enim non est ut qui onus sentire recusat, sentiat commodum. n. 3.

18. Si uxor metu ordinati continere nolit, ipse autem initiatus eligat in quantum sibi per matrimonii leges permittitur continentiam, nimirum non petendo debitum, & obliget se ad castitatem, ac clericorum more vivat, si non sit bigamus, gaudebit privilegiis clericalibus, quibus fruuntur ceteri conjugati cum unica & virgine. ibidem.

19. Quidam, & valde probabiliter affirmant obligare ordinem metu assumptum ad continentiam, & matrimonium postea initum esse irritum: at probabilius est sic initiatum nullo jure cogi continentiam servare, quando metus fuit in virum constantem cadens. n. 4. & 5.

20. Metu sic ordinatus potest matrimonium contrahere; & si nolit uti ordine suscepto, non tenetur ad officium divinum recitandum, quod id onus sit adjunctum Ordini sponte assumpto, sicut & onus continentiæ servandæ. n. 6. & 7.

21. Quamvis metus non sit cadens in constantem virum, non tenetur hic continere, modo sit talis ut præ timore illo initiatus sit, eoque secluso nullatenus initiandus, & hoc juxta probabilem sententiam; licet probabilius sit oppositum. n. 8.

22. Si metu quamtumvis gravi initiatus postea ratificet verbo, aut facto, semel utens ordine accepto, idque sine coactione aliqua, in posterum non est sibi integrum resilire, sed tenetur continere instar aliorum clericorum, qui sponte ad ordines sunt assumpti, modo sciens & prudens exerceat; secus si per errorem quo se ad ordinis observantiam adtrictum existimet; tunc enim non censetur ratificare. n. 9.

23. Quæ dicta sunt de metu, idem dicendum est de injusta compulsione ad ordines: si enim urgente necessitate compellat Prælatus justo præcepto ad ordines assumendos, sic compulsus teneretur ad continentiam, & ad cetera ordinis onera, cum nullam injuriam passus sit. num. 10.

24. Censent quidam ordinatum ante rationis usum, teneri continere, quod verum characterem suscipiat, sicut de metu ordinato asserunt multi: alis placet hunc non teneri continere, at non certum illis est an possit matrimonium inire: ceterum omnino dicendum est hunc nulla ratione astringi ad continentiam, & posse si ordine uti nolit, ad matrimonium transire. l. 7. d. 30. n. 1. 2. 3. & 4.

25. Infanti sic ordinato, dum fuerit sui compos, danda est optio velitne in ordine permanere, an resilire, quod si velit permanere, jam voto castitatis manebit ligatus: si autem resilire eligat, manebit suspensus usu ordinis suscepti. n. 5.

26. Ordinatus post rationis usum, ante pubertatem tamen, secundum aliquos tenetur continere; alii idem dicunt modo impubes ille sit doli capax, secus vero, non: sed probabilius est non teneri, nisi adeptus pubertatem, ratificet. n. 6. 7. & 8.

27. Cum hodie votum expressum solemne professionis non valeat usque ad 16. annum completum juxta decretum Tridentini, initiatus ordinibus sacris ante 16. annum non tenebitur continere. n. 8.

28. Post 16. annum jure conceditur triduum, ut sic ordinatus resilire ab ordine suscepto possit, si velit: & hoc triduum deservit præsumptioni fori externi; nam si intra illud post legitimam ætatem non reclamaverit, præsumitur ratificasse, & amplius non audietur: tamen si revera is postea non ratificaret, non astringeretur in foro conscientiæ ad continentiam, & ubi ratificaret manebit ligatus. n. 10.

29. Ad hanc ratificationem efficiendam Ordinis suscepti, non desideratur initiatum rogari, eligatne in ordine permanere, an eo deserto ad nuptias transire, quia nullus est textus id probans. n. 11.

30. Sic ordinatus post rationis usum, non tenetur ad recitandum officium divinum, donec post legitimam ætatem ratificet Ordinem. n. 12.

31. Si post legitimam ætatem verbo, vel facto ratificet, nimirum utendo Ordine sacro, jam non erit integrum sibi resilire, quando non per ignorantiam, qua se ad Ordinem astringi credebat, eo usus est. n. 13.

32. Ante legitimam ætatem initiatus Ordine sacro, non potest eo uti, donec ætatem jure ad ordines petitam nactus sit: est enim illius executione interim suspensus: at ubi jam adeptus fuerit ætatem jure ad ordines præscriptam, si bona fide initiatus est, ita ut culpæ expers fuerit, poterit absque alia dispensatione uti Ordine. n. 14.

33. Quidam credunt tempore Apostolorum fuisse Acolytum incapacem matrimonii; ceterum veritas est Ordines minores nullum prorsus impedimentum præstare matrimonio: imo nec Ecclesiæ integrum est, iis qui hactenus ad Ordines minores provecti sunt, continentiæ legem indicere; caret enim potestate. l. 7. d. 31. n. 2. 3. & 4.

v. Capellania.

34. Initiatus minoribus falso existimans votum castitatis illis annexum, dirimens subsequens matrimonium, secundum viros quosdam gravissimos, tenetur voto simplici castitatis, quibus fides minime habenda est; & ideo dicendum est hunc nullo voto teneri. n. 5.

35. Quando ex justa causa retrocedit clericus a prima tonsura, aut minoribus ordinibus, etiamsi viduam ducat, nulla est culpa. n. 9.

36. Non est culpa mortalis ejusmodi retrocessio absque justa causa facta, ducendo viduam, aut bis matrimonium ineundo. n. 10.

37. Venialis culpa est sine justa causa recedere a prima Tonsura, vel minoribus Ordinibus, reddendo se incapacem ad illorum Ordinum munia obeunda, propter bigamiæ irregularitatem. n. 11.

38. Nulla est culpa quando absque causa fit retrocessio a minoribus Ordinibus, ducendo unicam, & virginem. n. 12.

39. Qui initiatur prima Tonsura, aut Ordinibus minoribus; non tenetur animum ad sacros Ordines ascendendi habere: quare absque ea intentione potest illis insi-

insigniri: Bannes tamen cum discipulis multis D. Thomæ censet esse culpam lethalem. n. 15. & 16.

40. Si ordines minores, aut primam tonsuram accipiens, solum intendat declinare jurisdictionem fori sæcularis, nonnulla culpa est: quod deficiat recta intentio ordines suscipiendi: imo eam esse mortalem quidam existimant, quod minime credendum est. n. 17.

v. Episcopus. c. 13.

41. Quando sunt impedimenta jure ipso impedientia ordines, vel matrimonium, Ecclesia habet jus in utroque foro impediendi, si unius testimonio probari possint. l. 3. d. 15. n. 12.

42. Recipiens ficte patrimonium, ut ad ordines promoveatur, data antapocha, aut fide id reddendi cum promotus fuerit, tenetur id patrimonium restituere: multi tamen remissionem illam, & antapocham promoti ad ordines, docent non improbabiliter nullius esse momenti donec beneficium, aut patrimonium sufficiens habeat. l. 6. d. 32. n. 7. & 8.

43. Initiatus minoribus ordinibus cum litteris dimissoriis capituli sede vacante, quando eas concedere nequit, juxta Tridentinum non gaudet privilegiis clericalibus post sententiam judicis declarantis crimen. l. 7. d. 45. n. 18. & 20.

44. Si conjugatus nondum etiam consummato matrimonio, ad Ordinem sacrum absque uxoris licentia transeat, nequit constante matrimonio, aut eo soluto in suscepto ordine ministrare, aut ad superiorem provehi, nec poteſt ad officium aliquod aut beneficium promoveri. l. 7. d. 49. n. 2.

45. Si conjux innocens ad Ordines sacros absque uxoris licentia promoveatur, & postmodum ipsa fornicetur, non est illi restituendus. l. 7. d. 36. n. 4.

46. Conjux ad minores ordines, imo nec ad primam tonsuram promoveri potest absque uxoris licentia servatis aliis quæ jura postulant in uxore ad promotionem viri ad Ordines; etiamsi nondum sit consummatum matrimonium: licet contrarium sit etiam probabile. l. 7. d. 38. n. 5. & 6.

47. Certissimam est conjugatum, nec ante, nec post consummatum matrimonium posse ad Ordines sacros ascendere absque spontanea uxoris licentia. n. 2.

48. Non licet viro ante matrimonium consummatum absque uxoris licentia ad ordines transire, quamvis animum habeat transeundi statim ad religionem, & hoc esset peccatum mortale. n. 3.

49. A conjugato volenti ad primam tonsuram ascendere, ultra requisita ex parte uxoris, exigendum est votum continentiæ: imo nec poteſt conjugatus hic ad primam tonsuram promoveri nisi velit quoque ad Ordines sacros ascendere. n. 8. & 9.

50. Quando uxor contradixit, vel ignara fuit promotionis sui conjugis ad Ordines sacros, integrum est illi sic ordinatum ad consortium conjugale revocare, quia illi vir non potuit præjudicare. n. 11.

51. Si vir absque licentia uxoris ad summum evheretur Pontificatum, potest ab ipsa revocari, ut ei teneatur debitum reddere, cum enim hoc sit jus justitiæ plus, non potuit lædi per Pontificatum, quantumvis bona fide assumptum, eo quod uxor mortua crederetur. nu. 12.

52. Quando licentia uxoris metu viri constantis, aut dolo gravi extorta; vir ad ordines promotus est, non privatur uxor jure illum reperendi. n. 13.

53. Quando spontanea uxoris dissimulatio interfuit, quæ conscia promotionis viri ad ordines, ac potens reclamare, nec consensum, nec dissensum præstitit, sed dissimulando tacuit; quidam asserunt esse integrum uxori illum revocare, sed censeri vovere continentiam: nihilominus verius est nullum ex dissimulatione uxori præjudicium generari, sed jus suum viri repetendi illæsum manere. n. 14. & 15.

54. Uxore non repetente, non potest vir ad sacros Ordines absque ejus licentia promotus, ad consortium conjugale redire. n. 16.

55. Quando promotio ad Ordines sacros absque licentia uxoris facta est nondum consummato matrimonio, & ab ipsa vir revocatur, quibusdam placet, & satis probabiliter, eum teneri ingredi religionem, ut vel sic possit votum Ordini sacro annexum implere; quamvis hunc ad id non teneri probabilius sit. n. 17. & 18.

56. Non tenebitur vir ingredi religionem, quamvis animo ingrediendi religionem initiatus sit, dummodo id non voverit: n. 19.

57. Initiatus Ordine sacro ante matrimonii consummationem, monitusque ut religionem ingrediatur, ac renuens, restituendus est uxori petenti, cogenduſque consummare; quamvis maritus ante matrimonium consummatum in summum Pontificem evectus esset: quod intellige, nisi Pontifex effectus in eo matrimonio rato dispenset. n. 20.

58. Quando matrimonio jam consummato est vir absque uxoris licentia Ordine sacro initiatus, ac ab uxore revocatus; tenetur reddere debitum, at non potest petere: uxor vero sic promoto conjugi ad ordines absque ejus licentia, secundum probabiliorem sententiam non tenetur debitum reddere: etsi contrarium non sit improbabile. n. 21. & 22.

59. Sacris initiatus absque uxoris licentia, si ab ipsa revocetur ad consortium conjugale, valide transire non potest ad alias nuptias ea defuncta. n. 23. & 24.

60. Varii varie sentiunt in ponendis jure requisitis ut vir licite ad ordines promoveatur ex uxoris beneplacito; probabilior præ ceteris sententia haber; si uxor sit senex, non suspecta de incontinentia, sufficere votum continentiæ ipsius in sæculo; secus si juvenis sit, tunc enim desideratur ingressus ipsius in religionem. l. 7. d. 39. a n. 1. ad 6.

61. Vir sacris initiatus ex legitima uxoris licentia manentis in sæculo cum voto castitatis, potest simul habitare cum uxore, si nulla suspicio ex tali cohabitatione oriatur: permittendum tamen non est eos in eodem lecto, aut in eadem camera esse, sed solum in eadem domo: ceterum quamvis id ex se sit licitum, moraliter tamen loquendo non vacabit magno incontinentiæ periculo, aut saltem non levem ansam iniquæ suspicionis, & scandali præbebit. num. 8.

62. Si vir ad ordines promotus sit, sola spontanea uxoris licentia absque aliis jure requisitis, & ipsa non ignara suit juris statuentis quid in tali casu efficere debeat, nullatenus revocabitur vir ejus solo consensu promotus ad ordines; secus si ipsa jus ignoravit: nonnulli tamen docent uxore consentientem censeri se ad castitatem obligare, ac proinde illi non superesse jus virum revocandi. num. 10. 11. & 12.

63. In casibus quibus potest conjux innocens invita adultera profiteri, in eisdem integrum est ei ad Ordines sacros transire, licet quidam contradicant. l. 10. d. 11. n. 15. & 16.

64. Si alienigena se transferat in aliquam diœcesim animo habitandi perpetuo, ceperitque eo animo habitare, quamvis statim mutet animum, potest ad ordines promoveri ab Episcopo illius diœcesis, & reliqua potest exercere erga illum Episcopus, quæ potest cum suis subditis, dum non mutaverit actu habitationem; quia semel acquisitum domicilium animo & facto, non potest transferri, & deperdi sola animi mutatione. lib. 3. d. 22. num. 16.

65. Proles suscepta post legitimam promotionem conjugis ad ordines ex altero conjuge, est irregularis, licet sit legitima quoad successionem, & alios honores. l. 9. d. 38. n. 7.

Oscula.

v. adulter. c. 16. v. amplexus. v. arra. c. 9. v. arræ hispanæ. c. 5. v. circumflantia. c. 1. v. delectatio. v. divertium. c. 18. v. largitas sponsalitia. v. actus.

1. Quando oscula, tactus inter conjugatos non quæruntur propter voluptatem, sed ad præparandum se ad copulam conjugalem, vacant culpa, quia licitum est juvare naturam ad actum concessum. l. 9. d. 44. n. 8.

2. Item nulla est culpa si conjux, osculis, & tactibus utatur ad sedandam carnis tentationem, vitandamque fornicationem in se, vel in socio. ibidem.

3. Si oscula, & tactus inter conjuges referantur ad majorem voluptatem in ipsa copula captandam sunt culpa venialis, quia & ipsa copula conjugalis ob eum finem exercita venialis est. n. 9.

4. Si in osculis, & amplexibus nullus alius finis intendatur quam mutui amoris indicia sibi ipsis conjuges præbere, nulla est culpa. n. 10.

5. Affirmant quidam tactus impudicos inter conjuges habitos ob solam voluptatem in ipsis captandam, absque animo perveniendi ad copulam, esse peccatum mortale, quia omnis actus venereus non relatus ad copulam, est mortalis; at procul dubio dicendum est solum esse culpam venialem, quia voluptas illa non quæritur extra matrimonium. n. 11. & 12.

6. Si conjugatus seipsum tangat propter voluptatem captandam absque pollutionis periculo, aliqui censent esse culpam lethalem, cum non sit actus conjugalis, nec ad finem conjugii refertur, ceterum probabilius est solum esse culpam venialem. n. 25. & 26.

7. Tactus impudici nullatenus sunt liciti sponsis de futuro, quia proximiores sunt copulæ, ac proinde illis solis licent, quibus ipsa copula conjugalis est permissa: hinc propter periculum tactuum impudicorum non sunt permittendi sponsi de futuro soli esse. n. 50. & 51.

Pactum.

v. robaptizare. c. 5. v. conditio. c. 38. v. debitum c. 96. v. hæresis. c. 20. v. juramentum. c. 47. v. maleficium. c. 22.

1. Pactum est duorum conventio; unde promissio simplex nondum ab altero acceptata, non est pactum. l. 1. d. 5. num. 20.

2. Quando pactum principale non valet, nec pœna etiam adjecta valebit, tanquam accessoria enim sequitur naturam principalis: nisi ratio ob quam pactum principale non valet, deficiat quando pœna adjicitur. l. 1. d. 7. num. 17.

3. Secundum certiorem sententiam valet pactum sponsalibus adjectum ut vir teneatur in certo oppido moram trahere cum uxore, & tenetur vir fidem servare. l. 1. d. 40. n. 1. & 2.

4. Si nova recedendi causa superveniat, ob quam viro necessarium sit alio proficisci, ut quia cœlum est minus salubre, vel contraxit in eo oppido inimicitias capitales, tunc spreto pacto, quod in eo casu minime intelligendum est, potest alio migrare; quamvis id pactum juramento confirmatum sit. n. 3. & 4.

5. Quoties nulla recedendi causa nova supervenit, si vir pactum violet recedendo, adstringitur pœna pacto ad-

adjecta: cum enim pactum valeat, nec pœna aliquo jure reprobata sit, valebit utique. n. 5.

6. Si vir non obstante pacto absque nova superveniente causa domicilium mutet, uxor immunis est ab obligatione ipsam comitandi. n. 6.

7. Valet conditio apposita in primogeniis, ut successor sub pœna amissionis majoratus, teneatur in certo loco habitare, quia interest defunctI ad memoriam & honorem, ut successor moram trahat in loco ubi domus, & familia sua est; nisi justa causa recedendi superveniat. n. 7.

8. Cessante pacto ut vir teneatur in loco uxoris habitare; uxor tenetur sequi virum alio migrantem, ut transferat domicilium. l. 1. d. 41. n. 2.

Papa.

v. adulter. c. 4. & 24. v. etas. c. 11. v. beneficium. c. 7. v. clandestinum. c. 9. & 10. v. concilium. v. consuetudo. c. 1. v. dispensare. c. 18. & seq. v. error. c. 10. v. infidelis. c. 5. v. legitimare. v. nuptiæ. c. 4. v. causa. c. 3. & seq.

1. Non est dubium posse Papam dispensare in sponsalibus ex justa causa, cum id in matrimonio rato probabilissima sententia ei concedat: de Episcopo autem dicendum est non posse, propter jus acquisitum tertio, quod nullus propter supremum principem auferre potest. l. 1. d. 61.

2. Papa potest dispensare in matrimonio rato, ita ut soluto ejus vinculo possint libere conjuges aliud matrimonium inire, licet multi non improbabiliter oppositum teneant. l. 2. d. 14. n. 1. & 2.

3. Affirmant nonnulli, & probabiliter posse Papam statuere ut matrimonium ratum dirimatur per subsequens copula consummatum; sed non posse verius est. n. 3. & 4.

4. Probabile est valere dispensationem Pontificis in matrimonio rato absque causa justa concedam; licet verius sit non tenere dispensationem, quia hæc indissolubilitas est de jure naturali, & divino; in quo dispensatio Pontificis absque causa justa concessa, est prorsus irrita. num. 5. & 6.

5. Ut Pontifex dispenset in matrimonio rato, non desideratur mutuus conjugum consensus, sed existenti causa justa potest Pontifex dispensare, altero etiam invito. n. 7.

6. Causæ justæ ut Papa possit dispensare in matrimonio rato sunt. 1. notabilis in qualitate disparitas, quando scilicet contrahentes sunt notabiliter conditione dispares, & affectione cæca & levitate quadam ducti matrimonium ineunt. 2. gravis timor scandali magni futuri. 3. lepra alteri superveniens. 4. impotentia superveniens ante matrimonium consummatum. 5. quando alter conjugatorum asserit se non habuisse animum contrahendi. 6. ut vir efficiatur Episcopus, intellige, quando Ecclesiæ maxime necessarius foret. Ultima causa est mutuus conjugum consensus; sed hanc causam non esse sufficientem restantur multi. l. 1. d. 2. d. 16.

7. Papa potest dispensare in matrimonio consummato infidelium, dum ambo baptizantur. l. 2. d. 17.

8. Pessime aliqui jurisperiti dixerunt posse Pontificem ex causa dispensare in matrimonio consummato fidelium. l. 2. d. 13. n. 11.

9. Papa leges Justiniani repudia permittentes non potest approbare. l. 10. d. 1. n. 12.

10. Fide Catholica tenendum est, posse Papam impedimenta matrimonium dirimentia statuere, ac matrimonium adversus eam prohibitionem contractum esse irritum; quod constat ex multis Pontificum, & Conciliorum Decretis, & novissime ex Concilio Tridentino. l. 7. d. 1. n. 8.

11. Quidam hanc Ecclesiæ potestatem impedimenta dirimentia statuendi, ad infideles etiam extendunt: sed dicendum est Ecclesiam minime habere eam potestatem adversus infideles, quia cum sint extra gremium Ecclesiæ, nulla jurisdictione in eos gaudet. n. 3.

12. Ut Pontifex rite & recte valeat impedimenta matrimonium dirimentia indicere, desideratur justa causa nu. 4.

13. Si Papa absque justa causa decernat impedimentum aliquod, affirmant aliqui factum tenere, licet culpæ Papa reus sit: ceterum omnino tenendum est ad valorem prohibitionis desiderari justam causam, & proinde ea non existente, dicendum est matrimonium contra eam initum, validum esse, & culpa vacare. n. 5. & 6.

14. Potest Pontifex ex justa causa reddere irritum matrimonium quorundam privatorum inter se, reddendo illos inhabiles ad matrimonium contrahendum. n. 7.

15. Quamvis jus naturæ concedat cuilibet matrimonium, at potest Pontifex in gravissimi delicti pœnam eo jure quempiam privare, reddendo ipsum inhabilem, qui jure naturali habilis erat. n. 8.

16. Sponsalia inita contra Pontificis interdictum cum decreto irritanti, quamvis generali, nec mentionem sponsalium facienti, sunt invalida. l. 7. d. d. 2. n. 9.

17. Si Pontificis prohibitio simplex sit, nimirum absque decreto irritanti: matrimonium adversus eam prohibitionem Pontificiam initum est validum: item erit validum, quamvis sit decretum generale irritans, & non referens se specifice ad matrimonium. n. 10. & 11.

18. Si clausula decreti Pontificii irritantis faciat specificam matrimonii mentionem, id irritans si contra prohibitionem initum sit; distinguendum est, num causa sit temporalis, an perpetua; ut priori casu matrimonium non reddatur irritum id est, sit nullum, non simpliciter, sed in quantum parat præjudicium alicui lite, ob cujus pendentiam est ad tempus interdictum; posteriori autem casu, nempe quando causa est perpetua, irritum reddatur. n. 12.

19. Quamvis causa interdicendi matrimonium sit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem initum sit validum; at quando judicis prohibitio fuit legitima, separandi sunt conjuges ad tempus in pœnam delicti, ne pœnæ immunitate præceptum judicis justum contemnere audeant: hæc quæ dicta sunt de Pontificia prohibitione vera sunt, sive illa sit per modum constitutionis, sive per modum præcepti edita. n. 13. & 14.

20. Pendente lite super impedimento dirimenti prius matrimonium, atque ira super ejus valore non est ad aliud transeundum. n. 15.

Parochus.

v. constitutio. n. 2. v. benedictio. c. 1. v. 9. 16. v. catechismus. c. 7. v. conditio. c. 64. & seq. v. confessio. c. 17. v. delegatus. c. 9. & seq. v. denuntiationes. c. 9. 15. 39. v. excommunicatio. c. 18. v. habitatio. c. 8. & seq. v. licentia. v. matrimonium. c. 61. & seq. v. ordinarius. v. patrinus. c. 1. v. peregrini. c. 16. & seq. v. præsentia. v. procuratur. c. 22. v. religiosus. c. 10. & seq. v. suspensio. v. titulus. v. vagus. v. verba. c. 14. & seq.

1. Parochus potest ad tempus arcere parochianum suum a matrimonio contrahendo donec doctrinam christianam discat. l. 3. d. 15. n. 18.

2. Dum parocho constat de impedimento occulto, ut voto, non potest publice petenti matrimonium ministrare; quia ubi opponitur impedimentum, non est parochi de illius veritate discutere, sed tenetur rem ad Ordinarium deferre. n. 11.

3. Parochus volentes contrahere, debet matrimonio conjungere in facie Ecclesiæ, id est, coram duplici teste, & denuntiationibus præmissis, ubi nullum reperitur impedimentum. n. 20.

4. Parochus debet habere librum, in eoque tenetur scribere conjugum, & testium nomina, locum & tempus contracti matrimonii quod præceptum quia tendit ad finem vitandi lites, & ut Ecclesiæ constet de matrimonio, obligat sub culpa lethali: ad idem tenentur religiosi, qui in novo orbe vel alibi ex privilegio funguntur munere proprii parochi. n. 22.

5. Quando aliquis de licentia Ordinarii assistit matrimonio, tenetur parochum admonere ut scribat in libro, ut servetur Tridentinum decretum. Ibidem.

6. Non potest contrahi matrimonium etiam ex Episcopi dispensatione absque præsentia parochi & testium; quia quamvis possit Episcopus semel vel iterum dispensare in lege Pontificis, aut Concilii in casu magnæ necessitatis, at in hoc casu nullo modo potest. l. 3. d. 17. num. 6.

7. Quando matrimonium publice contrahitur scienti majori viciniæ parte, si parochus desit, Navarrus dubitavit an esset validum, quia Tridentinum annullans matrimonium absque parocho contractum, videtur intelligendum de contracto clandestine, ceterum dicendum est nullo modo valere, quia Tridentinum statuit formam substantialem pro matrimonio contrahendo, forma autem specifice & proprie, & non per æquipollens impleri debet. n. 7.

8. Infideles inhabitantes Christianorum loca, in quibus viget decretum Tridentini, non tenentur coram Parocho & testibus contrahere; quia lex Concilii, est mere Ecclesiastica, quæ infideles non obligat. n. 8.

9. Fideles inhabitantes loca ubi obligat decretum Tridentini, illud tamen invincibiliter ignorantes, invalide contrahunt absque parocho & testibus; quia quamvis lex non afficiat ignorantes quoad pœnam extrinsecam, bene tamen afficit quoad intrinsecam annullationis actus. num. 10.

10. Ad matrimonii valorem sufficit præsentia parochi alterius contrahentium, saltem si sit parochus illius contrahentis in cujus parochia celebratur. l. 3. d. 19. n. 4.

11. De necessitate Sacramenti ut valeat matrimonium, exigitur assistentia proprii parochi. n. 2.

12. Quidam ajunt parochum alterius contrahentis non posse valide assistere illius matrimonio, in alterius contrahentis qui sibi subditus non est, parochia, sed in sua tantum: tenendum tamen prorsus est sufficere proprium alterius contrahentis parochum, etiamsi in parochia alterius sibi non subditi matrimonium celebretur, quia assistere matrimonio reducitur ad jurisdictionem voluntariam, cum non exigat causæ cognitionem, ergo valide extra parochiam exercetur. n. 10. & 11.

13. Ad valorem matrimonii sufficit præsentia parochi, alterius vel utriusque contrahentis, quamvis in neutrius parochia, nec diœcesi matrimonium celebretur contra Navarrum qui putat extra parochiam parochum assistere non posse. n. 13. & 14.

14. Peccare parochum affirmant aliqui puniendumque matrimonio assistentem extra parochiam absque licentia Ordinarii vel parochi loci in quo matrimonium celebratur; verum probabilius est nullo modo peccare cessante scandalo, nec puniendum esse. num. 17. & 18.

15. Secundum probabiliorem sententiam parochus non Sacerdos valide interesse potest matrimonio: quamvis contratium sit etiam probabile. l. 3. d. 20. nu. 2. & 3.

16. Nondum Sacerdos potest esse parochus, ut si non elapsus sit annus a parochialis beneficii collatione; vel si ratione studii dispenset Episcopus, ne intra septennium parochus ad Sacerdotium promoveatur. n. 1.

17. Parochus non Sacerdos, sicut potest ipse assistere matrimonio, potest etiam concedere licentiam Sacerdoti assistendi: imo quamvis juxta quorumdam sententiam ipse assistere minime posset, probabilius est licentiam concedere illum posse. n. 6. & 7.

18. Parochus non potest concedere licentiam clerico qui Sacerdos non est assistendi matrimonio: quare assistente diacono de licentia Ordinarii, vel parochi, matrimonium esset irritum. n. 10.

19. Ille dicitur proprius parochus ad conjungendum aliquos matrimonio, aliique licentiam conjungendi concedendum; qui C. *omnis utriusque sexus*, appellatur proprius Sacerdos ad audiendas confessiones & dandam alteri Sacerdoti audiendi licentiam. l. 3. d. 23. n. 10.

20. Parochus vel quicumque alius Sacerdos regularis vel sæcularis, qui matrimoniis clandestinis interfuerit, per triennium suspendendus est ab officio; & eadem pœna mulctandus est parochus, quamvis non interfit, si iciens talia matrimonia non prohibuerit: sed hodie cessat illa suspensio triennalis, per pœnam arbitrariam impositam in Tridentino. l. 3. d. 48. n. 1. & 4.

21. Si proprius parochus, vel alius Sacerdos regularis, aut sæcularis de ejus licentia interfit matrimonio valido, clandestino tamen ob denuntiationum omissionem; cum Tridentinum in hoc nullam statuat penam, standum est pœnæ Concilii Lateranensis, & proinde suspendendus est triennio. n. 5.

22. Concilium Tridentinum decernit, ut si quis parochus vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, interesse matrimonio alieni parochiani, aut ipsum benedicere, absque proprii parochi licentia, ausus fuerit, tamdiu ipso jure suspensus sit, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, ad quem matrimonium illud, aut benedictio spectabat, absolvatur. Unde suspensio triennalis in hoc casu imponenda, virtute Concilii Lateranensis correcta est per Tridentinum, quod statuit suspensionem latam, ad Episcopi nutum. n. 6.

23. Excusabit a prædicta suspensione Tridentini quælibet ignorantia, etiam crassa, dummodo non sit ita crassa, ut ingens sit temeritas; quia Tridentinum dicit. Ausus fuerit: at verbum audacia dicit temeritatem. n. 7.

24. Si parochus alienus, vel Sacerdos qui non est parochus non assistat matrimonio, sed alii Sacerdoti licentiam assistendi concedat matrimonio clandestino, non incurret suspensionem triennalem, nec illam Tridentini: cum Concilium solum suspendat parochum conjungentem, vel alium Sacerdotem, nec exprimat dantem licentiam. l. 3. d. 49. n. 2.

25. Si autem proprius parochus det licentiam non Sacerdoti assistendi matrimonio clandestino, similiter neutram suspensionem incurret. n. 3.

26. Quamvis error qualitatis dans causam matrimonio ineundo, id minime dirimat; at parochus assistens ei matrimonio conscius doli, ac voluntatis contrahentis qui veritate cognita non contraheret, incurreret triennii suspensionem, quod dolose assistat interdicto matrimonio: ita Majol. cui tamen fides habenda non est. l. 7. d. 18. n. 22.

27. Parochus assistens matrimonio inter consanguineos, aut affines, aut professos, aut sacris initiatos, non incurrit excommunicationem, quamvis nonnulli affirment. l. 7. d. 48. n. 4.

28. Parochus dispensare potest cum parochianis suis ex consuetudine, in lege jejunii, esu carnium, & festis. l. 8. d. 9. n. 27.

Patrinus.

v. cognatio spiritualis. v. Invamentum. c. 51.

1. Patrinus esse potest puer cujuscumque ætatis, dummodo rationis usum necessarium ad culpam lethalem contrahendam habeat, in baptismo, vel confirmatione; ac suscipiendo contrahere veram cognationem spiritualem; secus si rationis usus careat: nec desideratur, ut hic ætate excedat baptizatum, vel confirmatum: licet 14. annis majorem baptizato esse quidam exigant. l. 7. d. 61.

2. Cognatio spiritualis non contrahitur inter ipsosmet patrinos, quare si vir & femina sint simul patrini, possunt inter se matrimonio jungi, & debitum petere; & si vir, & uxor simul alienum puerum de sacro fonte levent, nullatenus privantur jure debiti exigendi. lib. 7. disp. 54. n. 12. & 13.

3. Possunt duo ad invicem esse patrini, alter alterius filii, & rursus hic filii ejus, qui suum filium de fonte levavit, quare tunc duplex inter parentes compaternitas orietur, ratione utriusque filii. n. 17.

4. Affirmant quidam parochum admittentem plures patrinos quam duos in baptismo, reum esse culpæ lethalis; item si duos viros, aut duas feminas admittat: sed credendum est prohibitionem hanc Concilii Tridentini statuentis ut ad summum sint duo patrini, vir scilicet & mulier, non esse tanti momenti, ut obliget ad culpam mortalem. l. 7. d. 57. n. 6.

5. Episcopus non potest dispensare, ut plures duobus patrini adhibeantur, vel ut ii sint duo viri, aut duæ feminæ, contra Tridentini præscriptum, quia in præcepto Pontificis, aut Concilii Generalis non potest dispensare, nisi ea facultas sibi expresse concedatur; aut semel aut iterum quando necessitas urget, nec patet ad Pontificem aditus. n. 7.

6. Quando parentes duos patrinos designaverunt, ac parochus plures admisit, & omnes infantem simul susceperunt, illi soli a parentibus designati contrahunt cognationem spiritualem. n. 17.

7. Quando neutrum ex designatis patrinis, aut unum solum parochus admisit, & ambo susceperunt, uterque cognationem contrahet; quando parochus non habuit legitimam expellendi causam: at si parochus utrumque aut alterum legitime expulisset, ac contra ejus voluntatem se ingereret, cognationem non contraheret. n. 18.

8. Quando parentes aut ii quibus incumbit, neminem patrinum designarunt, ar parochus duos, aut plures designavit, illi cognationem spiritualem contrahent. n. 19.

9. Quando nullus ex designatis in patrinos puerum suscepit, sed quidam non designatus: quamvis probabile sit hunc, & omnes tangentes cognationem contrahere: probabilius tamen est illum non effici verum patrinum, nec contrahere cognationem. n. 20.

10. Plures patrini designati, qui ante Tridentinum contraxerant cognationem, eo quod puerum susceperant in baptismo, vel confirmatione, secundum veriorem sententiam non perseveret hodie in illis dicta cognatio, sed per Tridentinum abolita est. n. 21.

11. Quando errore ductus patrinus levat filium cujusdam, putans se alterius filium levare, etsi affirment quidam contrahi tunc cognationem cum illo quem de facto suscipit, at contrarium est verius. l. 7. d. 58. num. 6. & 7.

12. Quamvis peccent religiosi, si in baptismo, aut confirmatione sint susceptores, & patrini; tamen quia nullum est verbum in jure irritans factum, veri susceptores erunt, & subinde contrahent spiritualem cognationem. l. 7. d. 60. n. 21.

Pensio.

v. beneficium. c. 17. & 29.

1. Quando pensio datur laico pro ministerio mere temporali, ut pro pulsandis campanis, & organis, non vacant per matrimonium pensiones sic constitutæ. l. 7. d. 44. n. 2.

2. Quando Pontifex concedit laico pensionem pro re in defensionem Ecclesiæ utiliter gerenda, aut gesta, illa non vacat per matrimonium. n. 3.

3. Si pensio constituta esset clerico in minoribus, aut in sacris constituto, quia est ad vocatus Ecclesiæ, aut sacrista, vel pulsat organa, non vacat per matrimonium. n. 4.

4. Pensio alicui collata titulo clericali, ut loco beneficii, quod, vel cujus jus ad rem resignavit, vacat prorsus eodem modo per matrimonium, quo per illud vacaret beneficium; nisi ex tenore litterarum assignationis pensionis, appareret mentem Pontificis esse ut non vacet. n. 5. & 7.

5. Conjugatus clericus incapax est veræ pensionis, quæ titulo clericali conferri solet; si enim antea habitam vere perdit ob statum incompatibilem, a fortiori erit incapax novæ acquirendæ. n. 9.

6. Culpa venialis est acceptare pensionem titulo clericali collatam, animo ea ad tempus fruendi, & postea transeundi ad statum conjugalem, quia aliqualis debiti Ordinis est perversio. l. 7. d. 45. n. 20.

7. Pensio super aliquo beneficio assignata, potest in foro conscientiæ recipi, & solvi, ubi gratia verbo concessa est; quamvis litteræ non sint expeditæ: transactis autem sex mensibus a concessione per Pontificem facta, non potest amplius recipi, aut solvi pensio non consectis litteris, juxta decretum Pii V. l. 8. d. 29. n. 5.

Peregrini.

v. ordinarius. c. 9. & seq. v. ordo. c. 64. v. religiosus. c. 8.

1. Incolæ locorum, ubi decretum Tridentini non est publicatum, vel non est receptum, ut in quibusdam Galliæ partibus, & in Polonia, si in iis locis contrahant, possunt absque parocho, & testibus, sicut ante Tridentinum poterant inire matrimonium. l. 3. d. 18. n. 1.

2. Quando peregrini, proprio deserto domicilio, alio divertunt, animo ibi constituendi sedem, tenentur legibus, & consuetudinibus illius loci, in quo sedem constituunt, quia vere sunt incolæ: item tenentur si eædem leges in suo oppido vigent, licet divertant per modum transitus; vel si alias scandalum oriretur, legibus loci transitus non servatis. n. 3.

3. Quando divertunt peregrini per modum transitus, affirmant quidam cessante etiam scandalo, teneri illos ad leges, quæ non in suo oppido, sed in illo per quod transeunt, obligant; & hoc satis est probabile: probabilior tamen sententia ait, peregrinos, & forenses non adstringi legibus, & consuetudinibus loci per quem transeunt, vel in quo per modum hospitii reperiuntur cessante scandalo; & quando eæ non obligant in suo domicilio. n. 4. & 6.

4. Quod si leges illius oppidi per quod peregrinus transit, sint non speciales illius sed generales, & juris communis, non obligant tamen in suo domicilio, quia sunt abrogatæ consuetudine præscripta; idem dicendum de

de illis sicut de statutis, ac consuetudinibus specialibus, casu præcedenti est dictum. n. 7.

5. Multi asserunt solos peregrinos legibus, & consuetudinibus particularis oppidi teneri, qui perpetuo habitandi gratia in illud confluunt, ceterum sufficit ut aliquis teneatur legibus his, ut majori anni parte ibi sit habiturus. n. 8. & 9.

6. Quoad contractuum solemnitatem, quicumque forenses, & peregrini tenentur servare solemnitates in contractu requisitas legibus, & consuetudinibus oppidi in quo contrahunt; ratione enim contractus quilibet fortitur in loco contractus: excipitur contractus dotis, in quo id singulare est, ut non attendatur loci statutum, ubi initus est, sed loci in quo vir domicilium habet. n. 10. & 11.

7. Peregrini contrahentes in loco hospitii, tenentur ad gabellas illius, quia sunt onus consecutivum contractus: item forentes vendentes triticum in Castella, tenentur servare pragmaticam illius. n. 12. & 13.

8. Si legum transgressio cederet in damnum illius oppidi, tunc peregrini illis tenerentur. n. 14.

9. Vagi, qui nullibi certam sedem habent, tenentur ad leges, & consuetudines loci in quo etiam obiter reperiuntur, quia alias viderentur exempti ab omnibus statutis, & consuetudinibus, cum nullibi domicilium peculiare habeant. n. 15.

10. Aliqui asseverant teneri, & satis probabiliter peregrinos in alium locum per modum transitus, & hospitii confluentes, dum a proprio domicilio abiunt, servare leges, & consuetudines sui domicilii, si in eo loco in quo reperiuntur non obligent: contrarium tamen est probabilius, quamvis illæ leges sint juris communis, & obligent in patria peregrini, non autem in eo oppido in quo reperitur. n. 17. & 18.

11. Lusitanus transiens per Castellam potest edere sabbato intestina animalium, quamvis in Lusitania id sibi non liceat. n. 19.

12. Minime delinquit proficiscens in die festo ad locum ubi id festum non obligat, gratia exercendi servilia: quidam tamen addunt hunc teneri audire Sacrum, ante profectionem; verum magna probabilitate non caret quod tenent aliqui docti Neoterici minime teneri audire sacrum, si intra tempus opportunum ad audiendum, scilicet, ante meridiem, sit talis perventurus ad locum in quo id festum non observatur. n. 21.

13. Mane abiens proprio oppido in quo servatur jejunium, nocteque in locum perventurus in quo jejunium non obligat, potest nocte cœnare, & carnibus vesci, si ibi edantur, quamvis tota die jejunarit: negant tamen multi posse illum mane jentaculum sumere, quamvis perventurus certo sit ad locum ubi non jejunatur: verum probabilius est posse, quando moraliter est certus de profectione, & accessu illa die ad locum ubi jejunium non obligat: nullo tamen modo poterit carnibus vesci donec eo perveniat. n. 22.

14. Exiens loco ubi non jejunatur, carnesque edunturus, potest mane eas edere, quamvis nocte perventurus sit ad domicilium ubi a carnibus abstinetur, & jejunatur: ubi autem pervenerit, nequit carnibus vesci, quia jam lege domicilii obligatur, nec eadem ratione cœnare poterit, si nondum jejunium fregerat, secus si jam fregerat. n. 23.

15. Si incolæ locorum in quibus decretum Tridentini irritans matrimonia clandestina receptum non est, divertant ad alia oppida per modum transitus, & hospitii ubi obligat id decretum, non possunt valide absque parocho & testibus matrimonium contrahere, quia quoad contractuum solemnitatem tenentur servare leges ubi tempore contractus, versantur. n. 26.

16. Quando incolæ locorum in quibus decretum Tridentini obligat, confluunt eo ubi non obligat, secundum quosdam non possunt absque parocho & testibus contrahere, quia decretum Tridentini in aliquorum parochia semel publicatum afficit parochianos quocumque migrent: ceterum retenta probabiliori sententia peregrinos a domicilio absentes non teneri legibus illius, si contrariæ vigeant in loco ubi reperiuntur, dicendum est non teneri coram parocho, & testibus contrahere. n. 27. & 28.

17. Si tamen peregrini adirent ea loca, ubi Tridentinum non obligat in fraudem ipsius decreti Tridentini, ut ibi possent libere absque parocho & testibus matrimonio copulari; ajunt quidam matrimonium esse invalidum, quia fraus nemini debet patrocinari: ceterum ab hac limitatione recedendum est, & credendum etiam in hoc casu esse ratum matrimonium, quia qui jure suo utitur, non potest dici fraudem committere, ut ea ratione effectus impediatur. n. 29.

18. Probabilius est validum esse matrimonium captivorum apud infideles initum absque parocho & testibus, quamvis ad eas regiones ducti sint post publicationem, & receptionem in fua parochia illius decreti Tridentini, nec animum ibi permanendi habeant: idem dicendum de matrimonio contracto per mercatores Christianos qui ibi per modum hospitii sunt, quamvis incolæ sint eorum locorum in quibus Tridentinum obligat: tamen multiplex Doctorum sententia citatur super hunc casum. a n. 31. ad 36.

Pœna.

1. Pœna quæ vere pœna est, diminuens proprium patrimonium, adjecta contractui sponsalium, est prorsus irrita, quare violans fidem, non tenetur in utroque foro eam solvere, & hoc ut matrimonii libertati consulatur. lib. 1. disp. 30. num. 2. *v. Commutatio. c. 11. v. conditio. n. 1. c. 63. v. Ignorantia. v. irrita. c. 15. & seq. v. Iuramentum. c. 16. & seq. v. nupt. c. 9. & seq. v. pactu. c. 6. v. promissio c. 37. & seq. v. capitus. v. Synodus. c. 5. v. Fidus.*

2. Non tantum pœna est irrita dum per ipsos sponsos apponitur, sed etiam quando inter eos, qui ipsos sponsos ita jure sanguinis attingunt, ut probabile sit fore, ut inducantur ad matrimonium ne consanguinei pœnam solvant; idem dicendum quando apponitur inter conjunctos stricta amicitia sponsis, vel quando promittentes pœnam possunt grave damnum contrahentibus inferre, nisi contrahant: hæc autem intelligenda sunt quando promissio pœnæ ita concepta est, ut matrimonii necessitatem inducat, ne ea incurratur. n. 3. & 4.

3. Pœna apposita inter omnino extraneos ipsis sponsis, qui ipsos nullo modo attingunt, valida est, si extranei absque dolo, nomine proprio, pœnam ex propriis bonis solvendam spondeant, secus si mandato sponsorum, vel parentum pœnam promittunt. n. 6.

4. Non valet promissio pœnæ facta inter sponsum, & extraneum, ut si sponsus promittat extraneo pœnam, ni persecerit sponsalia: secus esset si extraneus promitteret pœnam cotrahenti, valet enim, ac si extraneo promitteret. n. 6.

5. Non valet pœna de matrimonio contracto dissolvendo, ut si ponatur pœna, si vir vel uxor dissolverit matrimonium per ingressum religionis, casu quo potest: valeret tamen pœna favore matrimonii, ut ne vir teneat concubinam. n. 9. & 10.

6. Quando modica est pœna, attenta contrahentium dignitate, quidam valere affirmant, eo quod minime reddat timidiores contrahentes, ne libere contrahant; probabilius tamen est minime valere, quia jus indistincte pœnam prohibet. n. 11.

7. Si alter sponsus ratione sponsalium expensas fecerit, pœna potest exigi ratione interesse consistentis in damno emergenti, non autem consistentis in lucro cessanti, quod ex matrimonio provenire debebat. n. 14. & 15.

8. Valet promissio solvendi interesse sub nomine interesse, quamvis non valeat, sub nomine pœnæ n. 16.

9. Quamvis pœna sponsalibus adjecta minime debeatur, & nulla sit; si tamen solvatur, quidam ajunt teneri recipientem restituere: & hoc est probabile, sed probabilius est minime teneri, donec juridice exactus ad restitutionem condemnetur. l. 1. d. 31.

10. Ubi culpa abest, debet abesse pœna. l. 1. d. 36. n. 4.

11. Quidam ajunt pœnam conventionalem in contractu sponsalium, debitam esse in foro conscientiæ; alii autem docent non teneri resilientem solvere pœnam conventionalem, donec alius contrahens petat eam: ceterum quamvis hæ duæ sententiæ sint satis probabiles, probabilius tamen est pœnam hanc non deberi ante judicis sententiam. lib. 1. d. 37. n. 2. & 3. & 4.

12. Debitor pœnæ conventionalis, potest eam præscribere, ita ut cesset actio illa ad pœnam, si spatio 30. annorum minime petatur, quia possidens, bonam fidem habet, cum eam offerre minime teneatur. n. 5.

13. Si constitutio inducens actus nullitatem, eam inducit ob solam legis prohibitionem, & in odium transgredientis; tunc annullatio est pœna, quia imponitur ut delicti supplicium: si autem non inducitur in odium, & supplicium contrahentium, sed propter defectum solemnitatis non observatæ, tunc annullatio actus non est pœna. l. 3. d. 4. n. 9.

14. Quamvis lex non afficiat ignorantes quoad pœnam extrinsecam, bene tamen afficit quoad intrinsecam annullationis actus. l. 3. d. 17. n. 10.

15. Quoties constitutio exprimit a quo tempore debeat obligare, afficit ignorantes quoad nullitatem actus, licet non afficiat quoad alias pœnas. Ibidem.

16. Quando inhabilitas statuitur in odium contrahentium matrimonium ad ipsosque puniendum, ea est pœna, secus quando defectus est solemnitatis. n. 11.

17. Matrimonium celebratum coram parocho, & duobus testibus dicitur clandestinum quoad pœnas ejus incurrendas, si denunciationes illicite omittantur; quamvis oppositum non sit improbabile. l. 3. d. 1. n. 7.

18. Docent quidam non dici clandestinum matrimonium, si denunciationibus omissis publice scienti majori viciniæ parte celebretur; & est satis probabilis hæc sententia, aliorum tamen sententia, quæ est probabilior, docet esse clandestinum quoad pœnas. num. 9. & 10.

19. Ad discernendum quando pœnæ actui impositæ incurrantur, licet actus sit nullus, hæc regula sit. Aut enim lex considerat tantum factum & animum facientis, non autem juris effectum, & tunc incurruntur pœnæ per actum invalidum: aut considerat juris effectum, & tunc non incurruntur, cum actus ille juris effectum fortitus minime sit. lib. 3. d. 2. n. 2.

20. Asse-

20. Asserunt nonnulli, Canones imponentes clandestino pœnam considerare solum factum, & animum prævum, & ita dicunt incurri pœnas ob clandestinum invalidum; alii docent clam contrahentes invalide, incurrere in excommunicationem Synodalem, secus autem de pœna exhæredationis imposita: probabilior tamen, quamvis hæ duæ probabiles sint, sententia negat quaicumque pœnas incurri; quia quod nullum est, nullum producit effectum. n. 3. 4. & 5.

21. Filius vel filia clam contrahens, non tenetur ab hæreditate parentum abstinere, antequam hæreditate privetur, quia est pœna, & subinde nullus tenetur eam sibi inferre. l. 3. d. 53. n. 3.

22. Pater conscius cautæ sufficientis exhæredandi, potest nulla præmissa judicis sententia exhæredare filiam, vel filium qui clam contraxerunt. n. 4.

23. Ut exhæredatio suum omnimodo consequatur effectum, est necessaria judicis sententia, quia quamvis pater exhæredet, tenetur ipse vel hæredes causam probare, quod si in probatione succubuerit, carebit effectu exhæredatio. num. 5.

24. Non exigitur sententia judicis, ut filii nati ex clandestino invalido, parentibus ignorantibus impedimentum, sint illegitimi. n. 8.

25. Quando privatio imponitur non ut delicti pœna, sed ob defectum conditionis requisitæ ad gaudendum aliquo privilegio, nulla desideratur sententia. Ibidem.

26. Triplex alia, ab enarratis, pœna est matrimonii clandestini. 1. est, Matrimonium hoc odiosum est quoad restitutionem; quia mulier spoliata a viro quasi possessione maritali, ante omnia est restituenda; at si matrimonium sint clandestinum non restituitur ante omnia. 2. pœna est. Si ignoranter intra gradus prohibitos contractum sit, neglectis scilicet, denunciationibus, separandum est: contrahentesque carere debent spe dispensationis obtinendæ. 3. non habet locum hodie post Concilium Tridentinum. l. 2. d. 44.

27. Quinque pœbis afficiuntur contrahentes ipsi clandestine. 1. est inhabilitas ad sic contrahendum. 2. est arbitraria. 3. in aliquibus diœcesibus est excommunicatio. 4. ut ambo conjuges tradendi sint consanguineis propinquioribus uxoris in servitutem perpetuam: hæc pœna jam non habet locum, quia illa lex in desuetudinem abiit. Ultima pœna est exhæredationis. l. 3. d. 46.

28. Verior sententia habet, quando minor pœna imponitur nova lege pro eodem delicto, pro quo imponebatur gravior lege antiqua, cessare pœnam legis antiquæ. l. 3. d. 48. num. 4.

29. Pœna positiva ut incurratur, exigitur judicis sententia, secus si sit privativa; aliquando tamen hæc etiam judicis sententiam requirit. l. 9. d. 30. n. 1. & 2.

30. Pœna delicto consummato imposita, ad tentationem perducenda non est. l. 10. d. 4. n. 12.

31. Satis probabiliter affirmant, Sotus, & Molina reum legitime interrogatum, negantem veritatem falsifire testibus se defendentem, teneri pœnam restituere, qua damnandus erat; verum probabilius est teneri reum solas expensas litis ob id factas alteri restituere, non autem pœnam. l. 10. d. 8. n. 14.

32. Pœna qualis est divortium, immunitatem adultero tribuere non debet. l. 10. d. 10. n. 3. *v. adulterare.*

33. Delinquens ante constitutionis revocationem, non punitur legis postea revocatæ pœna, si non imposita sit ipso jure. l. 7. d. 49. n. 12.

34. Pœna qua se obligant sponsi ad non resiliendum a sponsalibus, nullius est momenti propter matrimonii libertatem. l. 7. d. 88. n. 37.

35. Quando in contractu matrimonii conjuges, sub certa pœna se obligant ad abstinendum a posterioribus nuptiis, prioribus illis dissolutis, quibusdam placet talem contractum jurejurando etiam firmatum non valere, quia stipulatio pœnalis rejicitur in jure ob matrimonii libertatem; his tamen fides minime adhibenda est. Ibidem.

36. Quamvis regulare sit pœnam non adjicere ante judicis sententiam: id tamen fallit in pœna a testatore adjecta, debetur enim statim; ac incurritur in foro conscientiæ, nulla expectata judicis sententia, aut executione; quod nec vere, nec proprie rationem pœnæ habeat, sed conditio sit sub qua, & non alias testator legare voluit. l. 7. d. 91. n. 2.

37. Pœnæ a testatoribus impositæ in suis testamentis, transeuntibus ad secundas nuptias, non sunt correctæ jure Canonico, quia jus pœnas corrigens loquitur tantum de pœnis legalibus. n. 1.

38. Procuratores officii Sacræ penitentiariæ, sollicitatores, & scriptores, qui veritatem facti a narratione quam a partibus habuerunt quoad substantialia, & qualitates necessario exprimendas, diversam faciunt, seu quoquo modo invertunt, aut immutant, depravantur per motum proprium Pii V. pœna suspensi plectuntur. l. 8. d. 21. n. 58.

Pollutio.

1. Ad malitiam pollutionis, aut effectus cujuslibet præter intentionem evenientium, in solaque causa indirecte volitorum, nil refert sive in somnis sive in vigilia accidant: quia cum in sola causa sint indirecte volita, in ea sola habent rationem boni vel mali moralis, & proinde cetera per accidens contingunt. lib. 9. d. 45. n. 3. *v. delectatio. v. adulterare. v. divortium. c. 14. & seq. v. Ecclesia. v. Officium. v. Tabellio.*

2. Quoties pollutio sequitur præter intentionem ex causa aliqua necessaria, vel convenienti corpori, ut est cibus, vel potus moderatus; aut animæ, ut orare, studere; vel utilis aliis, ut est audire confessiones, feminas caute, & cum necessitate alloqui, nulla est culpa nondesistere a causa illa, quamvis prævideatur in ea pollutio inde subsecutura, quia ille patiens pollutionem, potius patitur, quam agat; imo hoc verum quamvis ea causa licita in qua pollutio prævidetur, sit illicita ratione circumstantiæ extrinsecæ, nihil ad pollutionem conferentis. n. 4. & 5.

3. Quando probabile consensus in pollutionis delectationem subest periculum, tunc quantumvis causa licita sit, est ab ea sub culpa lethali abstinendum; quia amans periculum peribit in illo: tunc autem id periculum contingit, quando quis expertus est se in simili occasione tere semper in culpam mortalem labi: huic autem periculo licite quis se exponet ob causam valde urgentem, proponens se firmiter non consensurum. n. 6.

4. Expertus se pollui ex equitatione absque consensus periculo, non tenetur pedester incedere, ab illaque desistere, quia est res utilis, nec causa per se, & suapte natura pollutionis. n. 7.

5. Pollutio præter intentionem subsecuta ex tactu licito, & in eo prævisa, quando tactus ille est necessarius, & cessat consensus periculum, caret omni culpa. n. 8.

6. Licitum est virtutis generativæ obstacula removere, adhibitis medicinis naturalibus minime tenentibus ad verum semen expellendum, sed ad removendos humores corruptos, licet inde præter intentionem sequatur pollutio, absque consensus periculo. n. 9.

7. Quidam docent ubi nec necessitas, nec causæ utilitas adest, esse mortale illi operam dare, ob pollutionem in ea prævisam absque periculo consensus in illam; quamvis causa alias licita sit; alii ajunt dantem operam cuicumque rei illicitæ etiam veniali, teneri sub mortali ab ea abstinere, ratione pollutionis in ea prævisæ: alii tandem dicunt pollutionem esse mortalem, quoties causa in qua prævidetur, est mortalis; & proinde tunc adesse illi actui specialem malitiam ratione pollutionis prævisæ: verum ut explicetur quid sentiendum in re difficillima, duo supposita præmittenda sunt. n. 10. 11. & 12. Primum sit.

8. Causæ in quibus pollutio prævidetur, quædam sunt, ex luxuriæ genere, nimirum, quæ per se turpes sunt & ad luxuriam pertinent directe, ut tactus, aspectus, verba turpia: & hæ proximius, & sæpius causæ sunt venereæ delectationis, excitantque appetitum ad illam: aliæ vero sunt, non ex genere luxuriæ, ut nimius esus, aut potus, equitatio; hæ enim causæ quamvis venerem excitent, at non ita proxime, sed remore, & ideo ad luxuriam minime spectant. n. 13. Secundum sit.

9. Valde tenuis est obligatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se, & proxime non ordinantur ad illam, quales sunt quæ ad luxuriam minime pertinent, sed per accidens, & præter intentionem agentis ex illis sequitur; dummodo absit periculum consensus in illius delectationem. n. 14.

10. Tunc solum reperitur culpa mortalis ratione pollutionis prævisæ, nec intentæ, quando absque urgenti necessitate exercetur actio ex sua natura turpis, & per se tendens ad actus venereos excitandos, pollutionemque consummandam; hæc est sententia tenenda; contra tres sententias propositas casu 7. n. 15.

11. Non est mortalis pollutio, quæ sequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, sive illæ sint veniales defectu plenæ advertentiæ, sive ex parvitate materiæ: ut si ex delectatione morosa rei turpis quæ defectu plenæ advertentiæ sit venialis, sequatur pollutio, vel si ex tactu levi manus, vitu, verbis, lectione aliquantulum libidinosis, & venialiter turpibus: unde hæres non efficiuntur mortales ratione pollutionis in eis prævisæ, nec intentæ, cessante probabili consensus periculo; licet nulla necessitas, vel utilitas inviteret ad hæc, sed sola curiositas, & animi levitas. n. 18.

12. Si perseverent in prædictis rebus, venialiter turpibus, sentiaturque vehemens commotio appetitus, & periculum pollutionis proximum, etiam absque consensus periculo, dicunt aliqui esse mortale; quia tenetur quilibet sub mortali cohibere appetitum, nec habere se negative, quando imminet proximum pollutionis periculum. num. 19.

13. Pollutio prævisa in causis illicitis, quæ non influunt notabiliter in illam; vel quando prævideretur in causis licitis, & illæ non vitantur, cum nulla adsit utilitas, est peccatum veniale contra castitatem. n. 21.

14. Omnis actus turpis mortalis contra sextum decalogi præceptum, si in eo prævidetur pollutio, etiam non intenta, habet specialem malitiam contra naturam, ratione illius pollutionis prævisæ; quia notabiliter ad illam influit, estque per se causa illius; imo quando quis perstitit in actu turpi, si sequatur pollutio,

v. adulter. c. 16. v. debitum c. 14. seq.

tio, aut adsit illius periculum quamvis non prævideatur, contrahetur culpa pollutionis. num. 22.

15. Inter omnino solutos, qui nec matrimonium nec sponsalia inter se inierunt, nullus actus habet malitiam mortalem, eo quod sit pollutionis prævisæ, & non intentæ causa, nisi secluso eo pollutionis periculo, esset mortalis contra sextum decalogi præceptum; quia soli tales actus sunt notabilis causa pollutionis, & quando ex se notabiliter influerent, & excusaret notabilis necessitas a pollutione, similiter excusaret a culpa contra sextum præceptum, ut tactus impudicus chirurgi ad medendum feminæ. n. 23

16. Si in venerea delectatione voluntas negative se habeat, nec admittens, nec respuens, quamvis sit probabilissimum non esse mortale, cessante consensus periculo; at si periculum sit pollutionis, quamvis non sit periculum consensus, est mortale; quia tenetur homo sub mortali auferre causas notabiliter ad pollutionem concurrentes, qualis est hæc: imo est mortale tunc tepide resistere prævisio eo periculo. n. 24.

17. Ut pollutio prævisa, nec intenta sit mortalis, non est attendendum an causa sit in se mortalis, secluso eo periculo pollutionis, vel licita: stat enim causam esse mortalem, & pollutionem solum venialem, ut quando non est causa per se; stat etiam causam esse ex se licitam, & effici mortalem ob pollutionis periculum. n. 25.

18. Quando causa pollutionis prævisæ notabiliter, & per se influit, nec adest urgens necessitas illam exercendi, tribuitur culpæ mortali pollutio, eaque culpa afficiet causam, quamvis alias licita esset; hujusmodi autem causæ solæ sunt res venereæ. Ibidem.

19. Pollutio nullo modo in se volita, sed indirecte in causa, quæ juxta dicta est peccatum mortale, est vere peccatum, & ita appellanda est; sed non est peccatum interius, ratione sui imputabile, sed exterius & imputabile ratione causæ in qua est prævisa & volita: & ideo non addit novam malitiam demo imputabilem malitiæ volitionis causæ. n. 27.

20. Pollutio nocturna non potest esse secundum se peccatum, sed quandoque habet peccatum annexum ratione causæ, hoc est, non est in se peccatum nova malitia imputabile a malitia suæ causæ diversa. Ibidem.

21. Si dans causam culpabilem pollutioni, pœnituerit legitime causæ datæ antequam subsequatur, vacat culpa pollutio postea subsecuta, quia cum causa fit intercisa, jam pollutio est omnino involuntaria. n. 28.

22. Quamvis de se non sit faris fateri causam pollutioni datam, sed etiam fatenda illa pollutio sit tanquam vere, & proprie peccatum; at si quis ante subsecutam pollutionem confiteatur causam datam, est probabile non teneri postea fateri pollutionem subsecuram, quia jam nullam habet malitiam, & satis expressa est in sua causa: tutius tamen est fateri pollutionem postea secutam n. 29.

23. Fieri non potest, Contra Marsilium, ut ebrius, vel dormiens amittat gratiam, admittendo tunc homicidium antea prævisum, vel incidendo in pollutionem prævisam in delectatione venerea ante habita; quia causa in qua prævisa sunt, & debuerunt vitari, jam contrahit malitiam mortalem effectus subsecuti, & tunc gratia deperdita est: quod si causa per legitimam pœnitentiam intercisa sit, effectus postea subsecutus non imputabitur culpæ, atque ita gratiam recuperaram non deperdet ille, tactus ebrius, aut dormiens. n. 30.

24. Quamvis licitum sit manum, testiculos, aut quodvis aliud membrum sibi amputare, ubi id ad vitam tuendam desideraretur, at pollutionem procurare, nunquam potest licere, etiam mediis alias licitis, ut pharmaciis, nec id aliquo bono fine honestari; licet omnino ad vitam præservandam necessarium sit. l. 9. d. 17. num. 15.

25. Non licet cooperari ad seminis jam e lumbis decisi effusionem, quamvis retentio saluti corporis grave detrimentum allatura sit: licebit tamen ubi pollutio est in naturali fluxu, in somnique cepit, illam non impedire ob morbi periculum, cessanti periculo consensus in delectationem. n 16.

26. Ubi pollutio cepit culpa patientis, & in ipso fluxu ipsum pœnitet præteritæ culpæ; non tenetur fluxum reprimere, quia jam pœnitentia interrupit actionem præteritam, nunc autem solum patitur. Ibidem.

Potentia.

v. *Matr.* c. 7. & *seq.* v. *Honestas petitionis* c. 8. v. *Maleficium.*

1. Potentia impuberis ad copulam satis probatur, si femina impubes ab alio fuerit cognita, vel puer impubes aliam feminam cognoverit. l. 7. d. 104. n. 58.

2. Nisus ad copulam facit præsumere potentiam ad illam. num. 26.

3. Copula, nedum nisus ad illam, minime inducit præsumptionem discretionis ad matrimonium petitæ; facit tamen præsumi potentiam: e contra autem propinquitas pubertati, facit præsumi discretionem, non tamen potentiam. n. 27

4. Multo probabilius est posse potentiam ad copulam ex signis probari, quamvis copula nondum habita sit: signa autem judicis arbitrio pensanda relinquuntur, inspecta personæ qualitate, membrorum dispositione, ac valetudine bona: intelige dummodo adit proximitas pubertati, ea enim deficiente non præsumitur ex his signis potentia. n. 28. 29. & 30.

5. Affirmant quidam, ad dijudicandum in puberibus potentiam ad copulam ex signis, aspiciendas esse partes verendas impuberis per matronas practicas; verum hæc sententia communiter improbatur, & merito, nam ut pudori parcatur, & honestas servetur, jure constitutum est non esse locum in hoc casu hujusmodi inspectioni: si autem dubium sit de virginitate, vel an vir habeat membrum aptum generationi, vel de valore matrimonii, tunc cum hæc judicari nequeant absque partium verendarum inspectione, ea necessitate cogente, inspiciendæ essent. n. 32.

6. Secundum quosdam standum est juramento viri dicentis se copulam habuisse cum impubere puella existenti proxima pubertati, ut in undecimo anno, vel circa duodecimum: at verius est non sat esse id juramentum. n. 33.

7. Si mulier sit multo major septennio, præsumitur matrimonio apta, ex sola claustri virginei apertione. n. 31.

8. Menstruum in femina sufficit ad probandam aptitudinem ejus ad generationem. n. 34.

9. Si puer aptus sit ad seminis effusionem, præsumitur quoque ad matrimonium aptus. n. 35.

10. Sola lanugo in pueri pudendis non arguit potentiam ad generandum, ac malitia supplet ætatem; quia nec omnes pilosi sunt potentes, nec omnes non pilosi impotentes, quamvis quidam dicant ex lanugine apparere potentiam. n. 36.

Potestas.

v. *Dispensatio.* v. *commutatio.* v. *episcopus.* v. *Papa.*

1. Potestas ordinaria Principis potest dici, ea, qua Princeps utitur secundum leges humanas, quibus quoad vim directivam astrictus est, quando scilicet dispensat ex justa causa in jure humano: potestas vero absoluta dicitur, quando non adstrictus iis legibus valide dispensat in jure humano absque causa. lib. 2. disp. 15. n. 3.

2. Potestas dispensandi circa beneficia, concessa Episcopo, intelligitur, non tantum de simplicibus, sed etiam de curatis, quia licet dispensatio sit odiosa, at facultas dispensandi est late interpretanda. l. 8. d. 2. n. 8.

3. Potestas Judicum privilegiorum conservatorum expirat morte conferentis re integra. l. 8. d. 28. n. 43.

Præceptum.

v. *Circumstantia.* c. 2. v. *divortium.* c. 63. & 64. & *seq.* v. *dubium.* c. 23. & *seq.* v. *jejunium.* c. 2. v. *inf. delit.* c. 14. & 15. v. *opinio.* c. 9. & 10. v. *condition.* c. 68. v. *Bicentia.* c. 16. v. *parochus.* v. *sponsalitia.* c. 9. & 10.

1. Præcepta Superiorum ad aliquid faciendum vel non faciendum obligantia, si non emanent per modum constitutionis a potenti illam facere, sed sint mandata ab homine, semper expirant morte mandantis, quamvis res non sit integra, vel ipso amoto ab officio. lib. 7. disp. 28. num. 47.

2. In nova lege Evangelica nullum est præceptum juris divini positivi, demptis fidei, & Sacramentorum præceptis: alia autem præcepta divina, sunt simul juris naturalis: unde hodie nullum est præceptum divinum positivum, pure negativum. l. 7. d. 32. n. 2.

Præsentia.

1. Ad valorem matrimonii necessaria est præsentia parochi & testium non tantum physica, id est corporea, sed præsentia moralis, & humana, quæ ultra Physicam additur usum rationis, & advertentiam, ita ut intelligant parochus, & testes consensum utriusque contrahentis: unde si essent ebrii, vel dormientes, vel non adverterent, vel testes essent infantes, non valeret matrimonium. l. 3. d. 39. n. 1.

2. Si parochus, & testes aliquo sensu percipiant consensum contrahentium, ut si non audiant verba, videant tamen signa mutui consensus, vel per interpretem intelligant, & in hoc casu dicto solius interpretis credendum est, sufficit ad valorem matrimonii. n. 2. 3. & 4.

3. Minus verum est quod docet Enriquez, nempe si parochus accesserit animo attendendi, quamvis tempore contractus, distrahatur evagatione mentis, valere matrimonium quia habet attentionem virtualem, qualis sufficit pro aliis Sacramentis, & Missa. Sed hoc est minus verum; quia attentio, & advertentia parochi, & testium desideratur, ut ipsorum testimonio comprobari possit mutuus consensus in matrimonio, quod testimonium nullo modo ferre possunt, nisi actu advertant. n. 5.

4. Nullo modo valet matrimonium quamvis parochus affectate, & consulto non attendat, nec intelligat consensus; quia tunc revera non est præsens, nec potest testificari de matrimonio. n. 6.

5. Seclusa declaratione Cardinalium, faris probabile est, præsentiam parochi, & testium, præter advertentiam intellectus, exposcere etiam voluntatis consensum, ita ut si vi interfint, aut dolo adducti ficta alia causa, non valere matrimonium: alii vero dicunt requiri testes esse specialiter vocatos; ceterum dicendum est valere matrimonium quamvis parochus & testes vi detenti interfint, vel dolo ad aliud vocati, dummodo intelligant consensus contrahentium, & hoc verum ex declaratione Cardinalium. a n. 7. ad 10.

6. Si matrimonium celebretur coram parocho, & testibus casu transeuntibus, est validum; quia cum advertant, vere dicuntur præsentes. n. 11.

7. Pec-

7. Peccabunt lethaliter contrahentes coram parocho vi detento, tum ratione injuriæ, tum etiam ratione contemptus Ecclesiæ: idem dicendum, quando parochus casu transibat vel dolo ad aliud vocatus, accessit: de testibus autem secus dicendum; esset tamen culpa venialis in contrahentibus, si testes vi detinerentur aut assumerentur casu transeuntes, aut dolo ad aliud vocati. nu. 12.

8. Valet matrimonium coram alieno Sacerdote initum de licentia proprii, quamvis ea licentia metu cadenti in virum constantem sit extorta; quia verius est jurisdictionem metu extortam valide transferri. n. 13.

9. Valida est licentia, & matrimonium, quamvis dolo, & mendaciis importata sit a parocho, alias nullatenus concessuro, n. 14.

10. Quando parochus, & testes interfint sponsalibus juramento stabilitis, nullo modo est verum matrimonium; quia juramentum nunquam habuit eam vim ut sponsalia transeant in matrimonium: idem dicendum quamvis copula occulta sit. l. 3. d. 40. n. 5. & 6.

11. Quando tam sponsalia de futuro, quam copula sunt coram eodem parocho & testibus habita, dicendum est jus antiquum manere illæsum, atque ita sponsalia transire in matrimonium, verum quidem si animo conjugali, præsumptum autem, quando fornicario haberetur copula, adeo ut probata copula, & sponsalibus, præsumet Ecclesia matrimonium, cogetque ad illud, sicut ante Tridentinum cogebat: secus dicendum si coram diverso parocho & testibus sint copula, & sponsalia. n. 7.

12. Quando matrimonio de præsenti utriusque, vel alterius impuberis, malitia non supplente ætatem, interfunt parochus, & testes, accedente copula, vel aliis actibus occulte factis, quidam affirmant transire hodie in verum matrimonium, sed omnino tenendum est non transire, nisi renovent consensus post legitimam ætatem coram parocho & testibus. n. 8. 9. & 10.

v. *adoptio* cap. 4.

Præsumptio.

v. *forus.* v. *potentia.* v. *reclamare.*

1. Præsumptio triplex est, quædam hominis, quæ est conjectatio in animo judicis, vel cujuscumque hominis ex variis conjecturis concepta. Alia est juris, quæ est probabilis conjectura ex certo signo proveniens jure præscripto, quæ contrario non probato, pro veritate habetur, ac onus probandi in adversarium transfert: Alia est præsumptio juris, & de jure, quam lex tanquam firmum jus inducit, ita ut adversus illam nulla admittatur probatio. l. 7. d. 37. n. 7.

2. Ut dicatur præsumptio juris, & de jure, non desideratur jure exprimi, ne admittatur probatio in contrarium; sed satis est ut sua præsumptione ita innitatur ut ex ea certum quid statuat. n. 8.

3. Quamvis contra præsumptionem juris, & de jure, non admittatur probatio directa, quæ ad enervandam ipsam præsumptionem tendat; admittitur tamen indirecta, qua probatur qualitates ad eam præsumptionem requisitas, minime reperiri. n. 33.

4. Contra præsumptionem juris, & de jure matrimonii initi, per copulam sponsalia subsequentem, admittitur probatio concludens non interveniſse copulam, aut sponsalia aut prius ea dissoluta fuisse. Ibidem.

5. Quando non constat de contraria voluntate, præsumptione juris ejusq; dispositione standum est in utroq; foro. n. 12.

6. Ex sola præsumptione juris, & de jure potest quispiam condemnari denegata sibi appellatione, quod habeatur tanquam convictus, & confessus: adversus tamen hanc præsumptionem conceditur beneficium restitutionis in integrum. n. 21. & 29.

7. Illa est natura præsumptionis juris, & de jure, ut solum sumi possit ex actibus præteritis, non autem futuris. l. 7. d. 88. n. 17.

8. Cum sententia matrimonii non transeat in rem judicatam, per eam non inducitur præsumptio juris & de jure, contra quam nulla probatio admittatur. l. 7. d. 99. nu. 13.

9. Præsumptio juris & de jure est novi consensus; quando potest matrimonium novo consensu perfici, nec appellatur a sententia illud approbanti intra legitimum tempus. l. 7. d. 100. n. 13.

10. Præsumptio in favorem alicujus inducta, non habet locum, quoties in ejus damnum redundat. l. 7. d. 103. n. 1.

11. In dubio non sumitur præsumptio partis deterioris, & nemo præsumitur malus. l. 4. d. 7. n. 2.

12. In dubio potius est accipienda præsumptio, ut actus valeat quam pereat; & hoc maxime verum in re favorabili, qualis est matrimonium. l. 3. d. 35. n. 19.

Preces.

v. *ludus.* c. 6. v. *raptus.* c. 9. & 46. v. *stupru.* c. 4.

1. Preces non importunæ Principis, aut superioris non soliti sevire in non obtemperantem, non incutiunt metum constantis viri: & in dubio non præsumitur sevire. l. 4. d. 7. n. 1. & 2.

2. Quidam docent solas preces importunas incurrere metum viri constantis: alii docent non inferre metum constantis viri, quamvis metui reverentiali conjunctæ sint: probabilior tamen sententia asserit preces importunas una cum metu reverentiali, ut si sint personæ cui debetur reverentia, incutere metum cadentem in constantem virum, a n. 4. ad 7.

3. Non quæcumque preces assiduæ, importunæ dicuntur, sed quæ tantum antistitem, & sepius repetite, & inculcate. n. 8.

4. Quorundam sententia est preces importunas non efficere involuntarium mistum, obligans ad restitutionem, nisi sint personæ cui metum passus contradicere minime potest absque magno incommodo, quia trahens alium invitum ad ludendum, tenetur restituere lucrum: aliorum vero opinio est cui adhærendum est, preces importunas, & nimis assiduas incutere metum levem, & aliquando efficiunt mistum involuntarium, quod tunc contingit, quando omnino repugnanti voluntate, & quasi coactus, ut importunitatem vehementem repellat, efficit, in foro conscientiæ obligare ad restitutionem. l. 4. d. 10. a n. 1. ad 4.

5. Rarissime defloratur tenetur restituere virgini, quæ solis precibus importunis adducta consensit suæ deflorationi: quia raro inveniitur in hoc casu involuntarium: tamen si revera virgo precibus victa, voluntate repugnanti, solum ut importunitatem repellat, consentiret suæ deflorationi, teneretur defloratur restituere. n. 5.

6. Donatio inter conjuges nimia importunitate extorta, non confirmatur morte; nec donatio inter patrem, & filium censetur melioratio: nec legata, aut testamenta sic extorta, sunt firma in foro conscientiæ, si mistum involuntarium contineant. n. 7.

7. Precibus importunis impediens legatum, tenetur restituere, eo modo quo vi impediens, quando eæ preces mistum involuntarium continent. n. 8.

8. Licentia extorta a religioso precibus valde importunis accipiendi, vel retinendi aliquid, quando re vera superior involuntarie ut importunitatem repellat consentit, aliter omnino repugnaturus, non excusat ipsum a proprietatis vitio; quia ea non est licentia, sed violentia. num. 9.

Princeps.

v. *consensus.* c. 6. v. *delegatus.* v. *dispensatio.* c. 20. 24. & *seq.* v. *donatio.* c. 13. v. *legitimare.* c. 19. v. *lex.* c. 14. v. *metus.* c. 53. v. *Papa.* c. 1. v. *potestas.* v. *preces.* c. 1. v. *privilegium.* c. 7. & *seq.* v. *sententia.* c. 14.

1. Quidam negant principem sæcularem Catholicum posse fidelibus sibi subditis aliquot matrimonii impedimenta statuere, quia cum matrimonium fidelium sit Sacramentum, est res quædam spiritualis, & proinde extra limites potestatis sæcularis; ceterum absque dubio dicendum est posse Principem sæcularem ex genere, & natura suæ potestatis, matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere, nisi sibi hanc potestatem summus Pontifex reservasset. l. 7. d. 3. n. 1. & 2.

2. Hodie integrum non est Principi sæculari fideli, disponere aliquid circa matrimonia fidelium impediendia, aut dissolvenda, quia Pontifex hanc sibi potestatem reservavit. n. 4.

5. Principes infideles possunt hodie leges suis subditis indicere, quibus quædam matrimonia ex justa causa interdicant, ac dirimant quia cum sint veri Principes ex natura suæ potestatis, id est eis integrum, nec constitutionibus ecclesiasticis hanc sibi reservantibus potestatem, arctantur. n. 5.

4. Respublica Hebræorum cum hodie non sit libera, nec Principem habeat, nequit matrimonii impedimenta statuere; & statuta lege Mosaica expirarunt cum illa lege per Christi passionem. n. 6.

6. Fideles subditi infidelibus Principibus, astringuntur legibus eorum justa irritantibus matrimonia, in omnibus iis casibus in quibus ad alias eorum leges tenentur: quare si cum impedimento dirimenti contrahant, erit nullum matrimonium. n. 7.

6. Enriques putat intelligi in Tridentino, nomine magnorum Principum, cum quibus solis est dispensandum in secundo consanguinitatis gradu, principales personas, aut viros opulentos, quod ex larga significatione hi Principes appellentur: alii volunt Principatum sumi pro notabili Potentatu, merito regiæ dignitati comparando, & putat Suarez non comprehendi filios Marchionum, aut Ducum qui Regibus subduntur: sed verius est intelligi in eo decreto Dominos solos Titulares, qui merito magni Domini appellari possunt. l. 8. d. 19. n. 2.

v. *beneficium.* c. 31.

7. Principum præcepta intelliguntur salvo jure alterius. l. 1. d. 47. n. 3.

Privilegium.

v. *bulla.* v. *clerus.* v. *dispensatio.* c. 6. 79. & 91. v. *episcopus.* c. 6. v. *legitimare.* c. 9. v. *opinio.* c. 7. v. *religiosus.* c. 8. & *seq.* v. *uxor.* c. 17. v. *gratia.*

1. Quidam existimant privilegium, seu gratiam prodesse a tempore concessionis, nec ejus scientiam, ac intimationem, requiri, ut valida sint virtute illius gesta: dicendum tamen omnino est tantum sortiri suum effectum privilegium a tempore quo certior de illo fit is cui conceditur. lib. 3. disp. 36. num. 1. & 2. intellige, de privilegio per modum rescripti; secus quando conceditur per modum statuti, & constitutionis. num. 3.

2. Privilegium, etsi requirat scientiam respectu personæ privilegiatæ, non tamen desideratur ejus notitia, respectu alterius, in cujus damnum est. n. 5.

3. Si quis per suum procuratorem, aut nuncium impetret privilegium, valet a tempore quo procuratori, aut nuncio intimatur. n. 6.

4. Quando privilegium motu proprio conceditur, vel

ad instantiam alterius, non satis est, si tertius qui casu audivit, certiorem faciat privilegiatum; sed oportet, si is, qui impetravit privilegium, aut nuncius ejus, aut concedentis, qui intimet. n. 7.

5. Privilegium intelligitur, juxta verba in supplicatione posita. l. 8. d. 21. n. 37.

6. Quando privilegium transit in contractum, nequit absque justa causa revocari per Principem, ejusve successorem: at existenti causa potest. l. 8. d. 33. n. 3.

7. Non potest Princeps absque causa justa revocare privilegium, in meritorum remunerationem alicui concessum; quamvis sola gratitudinis lege remuneratio debita esset, quod non gratis, sed per modum contractus censeatur concessum. n. 4.

8. Privilegium non subdito concessum; & ab eo acceptatum, non potest absque causa revocari, quia videtur transire in contractum. n. 5.

9. Si Princeps suam jurisdictionem concesserit, potest privilegium sine causa revocare, quia in concessione intelligitur semper excepta superioris auctoritas. n. 6.

10. Superior qui delegavit facultatem, potest suo arbitrio absque alia causa revocare, non solum valide, sed etiam licite per se loquendo, quia utitur jure suo, & quasi re propria; superior autem delegantis, non potest absque causa revocare. n. 7.

11. Non sufficit revocatio generalis ad censendum revocatum privilegium per modum contractus concessum: sed opus est expressa mentione saltem generali cujusvis indulti concessi per modum contractus; quia non præsumitur revocandi voluntas, quando ea tertii jus aufert. n. 8.

12. Tenetur Princeps ex justa causa revocans privilegium quod in contractum transit, recompensationem facere, dato æquivalenti. n. 9.

13. Non suspenditur Bulla Cruciata anno Jubilæi, qui olim centesimo quoque anno concedi solebat, nunc autem 25. quia privilegia bullæ conceduntur per modum contractus, Etsi contrarium insinuet Navarrus. n. 10.

14. Ex privilegio Gregorii XIII. Sacerdotes Societatis Jesu, & alii mendicantes gaudentes eorum privilegiis designati per Generalem, aut ejus licentia per alios superiores ejusdem Societatis, & a locorum Ordinariis approbati, vel approbandi, etiamsi nullo gradu sint insigniti, possunt litteras Sacræ Pœnitentiariæ, Doctoribus, vel Magistris destinatas, excipere & exequi. l. 8. d. 34. n. 11.

15. Privilegium cum dicatur quasi lex privata, si proprie sumatur, est concessio contra jus, ac proinde idem quod dispensatio: large tamen sumitur pro concessione præter jus, & in hac significatione, dispensatio, & privilegium differunt, quod sine causa concedi potest, quam tamen illa desiderat. l. 8. d. 1. n. 1.

16. Quotiescumque ratio ob quam conceditur pluribus privilegium, non inest cuilibet ipsorum, sed uni soli tanquam principali, & inde ad alios derivatur, morte principalis extinguitur; unde uxor clerici in minoribus constituti, secundum quorumdam sententiam solum gaudet fori privilegio, dum vir ejus superstes est, l. 7. d. 47. n. 4.

17. Nemo cogendus est uti suo privilegio, & hoc verum ex vi privilegii; secus si ex vi alterius legis obligabatur quis ad aliquid, a quo ratione impedimenti excusabatur, quod per privilegium aufertur; tunc ex vi illius legis obligatur ad utendum illo. l. 9. d. 6. n. 14.

Probatio.

v. divortium. c. 41. v. impotentia. c. 55. 51. v. juramentum. c. 48. v. matrona. c. 14. & seq. v. pœna. c. 23. v. præsumptio.

1. Quamvis ad impediendum matrimonium ne contrahatur; satis sit testis, vel fama, at vero ad ipsum dissolvendum; duo testes omni exceptione majores desiderantur, quia est causa gravissima, in eaque de magno præjudicio agitur: tamen si agatur de dissolvendo matrimonio ratione consanguinitatis, tunc sunt legitimi testes parentes, & consanguinei; unde non satis esset fama impedimenti. l. 2. d. 45. n. 30. 31. & 32.

2. Licet probatio sufficiens sit ad sponsalia dissolvenda, confessio utriusque sponsi, verum ad dissolvendum matrimonium minime sufficit; si uterque conjux non stans pro matrimonio, id est, petens id dissolvi; fateatur impedimentum dirimens; quia in causa matrimonii non statur litigantium confessioni, licet fama impedimenti cum tali confessione concurrat. n. 33.

3. Sufficientet probat, si fiat confessio ab altero stante pro matrimonio, & adsit impedimenti fama, quia quoties de animæ periculo tractatur, allegans propriam turpitudinem est audiendus. n. 4.

4. Si uterque conjux stans pro matrimonio, fateatur impedimentum, satis est ad dirimendum matrimonium, licet fama impedimenti non concurrat; verisimile enim est non velle contra seipsos falsam deponere. n. 35.

5. Si de solo divortio quoad thorum tractetur, statur confessioni alterius conjugis contra seipsum prolatæ. n. 36.

6. Si de probando matrimonio inter aliquos tractetur, statur eorum confessioni, quia cum matrimonium solo consensu contrahatur, sola confessio probat: si tamen id matrimonium sit contra aliud prius contractum, non stabitur conjugum confessioni, cum sit in alterius detrimentum. n. 37.

7. Probatio mortis alterius conjugis, ut superstes possit aliud inire matrimonium, non est ipsius longissima absentia; quia ex longa conjugis absentia non resultat certitudo de ejus obitu, sed tantum incertitudo, & dubium. l. 2. d. 46. n. 1.

8. Eadem probatio mortis debet esse, & professionis alterius conjugis ante matrimonium consummatum. n. 4.

9. Authentica *Bodie C. de repud.* statuens ut uxor audiens virum in prælio obiisse, non prius alii nubat quam per se; vel per alium adeat belli ducem, isque juret objisse, aliorumque testimonia recipiat, & postea expectet per annum, alias puniri possit de adulterio, jure canonico correcta est, quia tantum petitur certum nuncium de morte haberi. n. 2.

10. Ad probandum alterius conjugis mortem, ut superstes possit aliud inire matrimonium, affirmant aliqui satis esse probabilitatem moralem judicio prudentum; quæ sententia, quamvis sit probabilis, probabilius tamen est eamdem certitudinem requiri ut Ecclesia det contrahendi facultatem, & ut possit aliquis propria authoritate, & ita requiri tantam certitudinem, aut per certum nuncium, aut per testes, ut judicio prudentis, non tantum probabilis, sed certa judicetur mors. n. 5. & 6.

11. Probatio mortis prioris viri, non omnino, qualis esse debet, præscribi potest, sed judicis prudentis arbitrio attentis circumstantiis occurrentibus, relinquitur. numer. 7.

12. Illud est speciale in morte probanda, ut testes non citata parte, sed ex mero judicis officio examinari possint. num. 8.

13. Opinantur aliqui sufficere testem unum affirmantem conjugis mortem, ut liceat alteri ad secundas nuptias transire, attendendam tamen nuncii seu testis personam, & qualitatem, & an per verba verisimilia deponat, & ita in hoc judicis arbitrium versari: sed verius est non sufficere unum testem: si tamen conjux objerit in loco distanti, & facile nequeant aliæ probationes haberi, satis erit nuncius. n. 10. 11. & 12.

14. Docent quidam mortem satis probari fama; sed dicendum est solam famam non sufficere, nisi aliis adminiculis adjuvetur. n. 13. 14. & 15.

15. Ut fama probet, desideratur ut ipsa plene, & vere probata sit, ad quod aliquæ conditiones desiderantur. 1. ut duplici teste probetur. 2. ut testes sint omni exceptione majores, deponantque se audivisse a fide dignis. 3. ut concurrat causa rationabilis ex qua forma orta est. 4. ut testes deponant se audivisse publice a majori parte populi, nec sat erit deponere publice audisse; in rebus tamen parvis, sufficit fama majoris partis vicinæ. 5. ut deponant testes a quibus personis fama ortum habuerit, & a quibus ipsi audierint. 6. conditio est, ut testes de fama deponentes, asserant credere, rem ita se habere. n. 16.

16. Magis creditur duobus testibus de metu deponentibus, quam mille testantibus spontaneam voluntatem, nisi pro deponentibus de spontanea voluntate adessent præsumptiones, & conjecturæ. l. 4. d. 27. n. 1. & 2.

17. Quando testificatio asserentium spontaneam voluntatem, seu non interveniſse metum, esset negativa, coarctata loco, & tempore, tunc non præfertur probatio spontaneæ voluntatis, probationi metus, sed æque creditur affirmantibus, sicut negantibus. n. 3.

18. Cum adulterium sit ex illis criminibus, quæ in abdito loco & omnino occulte admittuntur, est difficillimum probatu, nec vere probari potest, sed ex probationibus petitis ex præsumptionibus concluditur. l. 10. d. 12. num. 40.

v. adulter. c. 19. & seq.

Procurator.

v. notatio spiritualis. c. 18. v. mandatum. v. pœna. c. 38.

1. Nulla desideratur ætas, nec qualitas alia in procuratore ad matrimonium constituto, præter eam quam jus naturale expoſcit ad explicandum consensum nomine alterius, nimirum rationis usum: etsi quidam ætatem decem, & septem annorum exigant, sicut in procuratore ad negotia: in procuratore autem ad judicia, jure requiritur ætas 25. annorum. l. 3. d. 41. n. 8.

2. Matrimonium contractum per procuratorem validum fuit ante Concilium Tridentinum, nam Christus elevans matrimonium ad esse Sacramenti, non immutavit contractus naturam, quæ ea est, ut possit inter absentes per procuratorem celebrari. l. 2. d. 11. n. 2.

3. Ut procurator absentis nomine validum matrimonium ineat, quatuor conditiones desiderantur. 1. est, ut habeat speciale mandatum ad matrimonium, nec satis est generale ad omnia negotia: idem dicendum ad contrahenda sponsalia. 2. ut sit mandatum ad contrahendum cum certa persona, nec sufficit generale ad contrahendum cum quacumque. 3. ut procurator per seipsum exequatur, non enim substituere potest, nisi expresse in mandato hoc contineatur. 4. ut tempore quo procurator contrahit, non sit revocata potestas, si enim revocata sit, quamvis revocatio lateat procuratorem, & alterum conjugem, est iritum matrimonium, a n. 3. ad 6.

4. In aliis contractibus quæ per nuncium, vel epistolam celebrantur, valet revocatio inscio nuncio facta, quamvis in iis quæ per procuratorem fiunt, excepto illo matrimonii, necesse sit procuratorem de revocatione certiorem fieri, ut facta per ipsum invalida sint. n. 7.

5. Procuratoris ad matrimonium revocatio, illud etiam irritum reddit, quamvis juramentum de procuratore non revocando præmissum sit, revocans enim perjurii reus erit, tenebit tamen revocatio. n. 8.

6. Procuratoris revocatio mere interna valet quoad forum conscientiæ: licet quoad externum incumbat revocanti eam testibus probare. n. 9.

7. Tacita revocatio mandati sufficeret, imo facto ipso contrario revocatur; quia voluntas non tantum verbis, sed etiam factis demonstratur. n. 10.

8. Si postquam quispiam procuratorem misit, nec consentit, nec dissentit, sed in aliis occupatur, valet matrimonium, quia durat prior consensus virtute cum non sit obex contrariæ voluntatis. n. 11.

9. Si procuratore misso, dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseverat, dum procurator nomine suo contrahit, valet matrimonium. n. 12.

10. Si dum quis mandatum dedit consensum finxit, tempore tamen quo procurator ejus nomine contrahit, habet verum consensum, valet matrimonium, quia cum eo tempore conficiatur, tunc desideratur consensus. n. 13.

11. Procurator ad matrimonium & generaliter, constitui potest absque scriptura. n. 14.

12. Diversitas sexuum in procuratoribus ad contrahendum matrimonium est impertinens; quare duo viri vel duæ feminæ possunt esse contrahentium procuratores; quia ea sexuum diversitas, solum requiritur in ipsis qui matrimonio junguntur. n. 15.

13. Verba procuratoris contrahentis matrimonium debent esse hæc. Talis consentit in te, vel accipit te in virum, vel uxorem me mediante: valebit etiam matrimonium si dicat. Recipio te in virum & uxorem nomine talis personæ. n. 16.

14. Si in commissione dicatur do tibi facultatem contrahendi matrimonium servata forma Tridentini, si omissis denunciationibus contrahat procurator, valet matrimonium, quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis eo modo, quo jure communi inest, non inducitur nova forma, & conditio. n. 18.

15. Censent aliqui matrimonium contractum per procuratorem coram parocho & testibus, post Tridentinum non esse validum: ceterum tenendum est id matrimonium valere, nec correctum esse C. fin. de procur. in 6. & probatur ex praxi totius Ecclesiæ. n. 19. & 20.

16. Valet matrimonium per procuratorem commissione ei facta absque parochi & testium præsentia: satis autem est ut procurator nomine absentis matrimonium coram parocho & testibus ineat. n. 22. & 23.

17. Quidam affirmant, & secundum Sotum probabiliter, matrimonium contractum per procuratorem esse quidem verum matrimonium, non tamen Sacramentum; sed prorsus tenendum est esse Sacramentum, quia est verum matrimonium ratum & indissolubile. n. 26. & 27.

18. Quando matrimonium fit per procuratorem, nec procurator est minister, nec in ipso recipitur Sacramentum, nec verba illius sunt materia, & forma Sacramenti, sed ipsi principales contrahentes sunt ministri, & recipiunt in se Sacramentum, & expressiones consensuum ipsorum quatenus innotescunt per procuratorem, sunt materia & forma, procurator autem est conditio sine qua non. n. 28.

19. Minime delinquit procurator, si dum contrahit, peccato lethali affectus sit, quia non recipit in se Sacramentum, nec ministrat. n. 29.

20. Mittens procuratorem tenetur sub culpa lethali esse in gratia, eo tempore quo verisimile est fore, ut procurator nomine ipsius contrahat, quia tunc recipit Sacramentum. n. 30.

21. Optime faciunt contrahentes per procuratorem, si postmodum ipsimet iterum matrimonium ineant ad tollendos scrupulos. n. 31.

22. Quando aliqui contrahunt per procuratorem, non est opus ut parochus, & testes videant litteras, in quibus continetur potestas procuratoris, ut praxis Ecclesiæ recipit. l. 5. d. 8. n. 24.

23. Non valet ipso jure constitutio procuratoris ad matrimonium ineundum metu viri constantis facta, quia deficit consensus ad libertatem matrimonii requisitus: imo dotis promissio, & solutio metu facta, est ipso jure nulla tanquam matrimonio accessoria. l. 4. d. 12. num. 22. & 23.

Professio.

v. bigamia c. 8. & seq. v. altum sentia. c. 8. & seq. v. condition c. 28. v. confessio c. 22. v. excommunicatio c. 20. v. hermaphroditus c. 9.

1. Ut sit licitus ingressus alterius conjugis post matrimonium consummatum in religionem, liceatque professionem emittere, minime sufficit licentia alterius manentis in sæculo, sed si manens in sæculo sit senex, & absque incontinentiæ suspicione, desideratur ut votum castitatis emittat; si autem juvenis, opus est ut pariter religionem ingrediatur. l. 7. d. 32. n. 2.

2. Ad valorem professionis conjugis, Episcopi licentia non est necessaria, de honestate tamen desideratur. num. 3.

3. Transitus ad religionem conjugis juvenis, quo alter licite profiteatur, debet esse ad professionem emittendam, & non solum ut ibi inclusus a vagationibus arceatur: imo non satis erit si profiteatur vir assumpto habitu Equitum D. Joannis. n. 4. nec sufficit votum temporale conjugis senis in sæculo manentis, nimirum dum conjux professus superstes fuerit. n. 5.

v. horæ canonicæ c. 4. v. impotentia c. 63. & seq. v. matrimonium. c. 40. & seq. v. metus c. 26. & 31. v. novitiatus. v. ratificari. v. reclamare. v. restitutio. v. votum.

4. Affirmant aliqui votum castitatis conjugis manentis in sæculo effici solemne, eo ipso quod alter profitetur, ac subinde irritum reddere matrimonium contractum contra id castitatis votum a manente in sæculo post obitum professi: at nulla ratione existimandum est id votum effici solemne, quia voti viri solemnitas, nequit in uxoris votum redundare. n. 6. 7. & 8.

5. Si conjux senex in sæculo manens suspectus sit de incontinentia, non sufficiet ejus votum in sæculo, sed opus erit ut ad religionem transeat: Ita nec sufficiet votum prædictum ubi conjux manens in sæculo est juvenis: quamvis ita honestæ vitæ sit, ut nullus incontinentiæ timor subsit. n. 9. & 10.

6. Quando uxor senex manens in sæculo non est suspecta de incontinentia, est tamen de aliis perversis moribus, prædictum votum in sæculo non satis erit: tenet tamen omnino ingressus. n. 11.

7. Si conjux senex relictus in sæculo cum continentiæ voto, id non servet post viri professionem, sed incontinenter vivat, cogetur ingredi monasterium, non tamen profiteri. n. 12.

8. Si conjux ingressus religionem de alterius licentia; exeat novitiatus tempore, est cogendus redire ad conjugem manentem in sæculo; quamvis hic votum castitatis emiserit; quia votum illud censetur factum ob causam professionis alterius conjugis, qua non secuta, cessat votum defectu causæ, & conditionis. n. 13.

9. Si alter conjux absque alterius licentia professionem faciat, ac manens in sæculo ratificare velit, non indiget hic religionis ingressu, quamvis juvenis sit, sed satis est quod in sæculo castitatem voveat. n. 14.

10. Quamvis conjux, qui manens in sæculo votum castitatis emisit, sit juvenis, & suspectus de incontinentia, certum est validam esse professionem alterius, cui sponte sua licentiam concessit, quod non sit de substantia professionis conjugis, professio alterius. l. 7. d. 33. n. 2.

11. Quidam censent professionem esse nullam, si conjux in sæculo manens nullum votum emisit; ceterum verissima sententia probat eam professionem esse validam. num. 3. & 4.

12. Professus hic a monasterio revocatus, eo quod desiderata sint aliqua jure requisita, ac conjugi restitutus, tenetur eo conjuge defuncto ad monasterium redire: quod vere professus sit, ac solum coactus redire ad conjugem manentem in sæculo ad confulendum periculo incontinentiæ ejus, quod morte cessat. n. 5.

13. Professus revocatus ad conjugem manentem in sæculo, qui nullum castitatis votum emisit, tenetur illi debitum reddere, licet non possit petere. n. 6.

14. Quando conjux manens in sæculo vovit, cum esset juvenis, aut de incontinentia suspectus, posse professum revocari admittunt aliqui: at verior sententia habet, non esse locum prædictæ revocationi, quamvis votum castitatis emissum a conjuge manenti in sæculo, sit temporale. n. 8. 9. & 10.

15. Si uxor manens in sæculo erat conscia juris disponentis virum non posse profiteri, nisi ipsa licentiam concedens voveat castitatem, si senex sit; & si juvenis, ingrediatur religionem; juxta probabiliorem sententiam non potest vir professus revocari; secus si ipsa hujus juris inscia erat: oppositum tamen plurimis placet, a n. 11. ad 14.

16. Affirmant aliqui conjugem professum posse propria auctoritate exire, casu quo potest revocari; at dicendum est minime posse propria authoritate exire, quia vere professus est, & tenetur ad obedientiam. n. 15.

17. Casu quo professus conjugatus revocari potest, quibusdam placet id fieri jure actionis competentis conjugi in sæculo relicto; at multo verius est non posse revocari jure actionis ad conjugis alterium petitionem, sed ex solo judicis officio, cujus est consulere periculo incontinentiæ conjugis in sæculo relicti, dum id imminere viderit, revocando professu, & eum illi restituendo. n. 17. & 18.

18. Si res est integra, quia conjux cui data est licentia, nondum est professus, potest licentia a conjuge concedente revocari, nec factum tenebit gestum ab altero post eam revocationem, quod legitima licentia caruerit. n. 19.

19. Censent quidam conjugem manentem in sæculo, qui licentiam alteri concessit profitendi, casu quo non datur revocatio, non cogendum profiteri, sed in monasterium recludendum, ne incontinentiæ periculum incurrat; alii cogendum profiteri asseverant: verum distinguendum est; aut conjux votum religionis emisit, & tunc cogendus est religionem profiteri; aut vovit solam continentiam dando marito licentiam profitendi, & tunc si erat juris peritis professionem ipsius ut vir legitime profiteretur, ignara, non cogetur profiteri, sed includetur in monasterium quo a vagationibus arceatur, & cesset incontinentiæ periculum. Si vero ejus juris conscia erat, cogetur profiteri. n. 25. 26. & 27.